G. G. LEIBNITII

DE NOVA METHODO

DISCENDÆ DOCENDÆQUE

JURISPRUDENTIÆ

HANC THESIM

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

DISCEPTANDAM PROPOSUIT

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

Louis
(Ludovicus) LEGRAND

IN EADEM FACULTATE LICENTIATUS, DOCTOR IN JURE

PARISIIS
APUD THORIN, BIBLIOPOLAM
via dicta, boulevard S.-Michel, 58

VALENCENIS
APUD J. GIARD, BIBLIOPOLAM
place d'Armes, 49

MDCCCLXVIII

EX TYPIS A. SEULIN

OPTIMO ET ELOQUENTISSIMO VIRO

R. P. HYACINTHO

GRATI ADDICTIQUE ANIMI PIGNUS

D. D. D.

PROŒMIUM

Plerisque hominibus non nisi in quâdam peculiari doctrinarum vel artium portiunculâ et quidem multo cum labore præstare licet; ne cognitione universa amplectamur, vires animi vetare solent : ea demùm nostræ infirmissimæ naturæ conditio esse videtur. Hanc vero quasi legem sunt quibus interdum Deus, ut ita dicam, remittat, quos suprà ceteros homines mirificè extollat et quibus, ipsius quasi instar, quæcumque gestiant quùm efficere, tùm scire permittat. Beatissimis illis viris quorum singula sæcula unum et alterum vix gignere queunt, omnia penetrare, omnia investigare, omnia prospicere conceditur : nihil est tàm magnum, nihil est tàm exiguum quod ab illorum studio alienum sit.

Quos inter præstantissimos et ingenio tanquam portentosos viros Leibnitius haud immeritò annumerandus est. Quippe quem nulla fugerit ex omnibus tàm multis variisque disciplinis

quibus humana mens studere valeat. Philosophia autem ac mathematica quantum ab illo incrementi acceperint, non necesse est commemorare.

Illa verò mathematici ac præsertim philosophi notissima gloria aliam minimè spernendam Leibnitii gloriam obruit. Nempe in jure mirabiliter versatus est, ejusque juridica opera nullo modo digna sunt quæ oblivionis nocte cooperiantur. Operæ pretium est pulverem quo illi libri teguntur, ut ità dicam, sedulò verrere.

In jure, sicut in quâcumque re, lentum Germaniæ ingenium tardè surrexit. Dùm apud nos jus Romanum consuetudinesque perfectissimè excolerentur maximique nominis jurisconsulti florerent, ultrà Rhenum præter Giphanium, Haloandrum et quosdam alios nullus pænè reperiebatur, ità ut dicere liceret : « Jurisprudentia Romana, si apud alias gentes exstincta esset, apud solos Gallos reperiri posset (1). »

Leibnitii tempore, res mutari cæpere. Nempe ut Struvium, Strauchium ac Schilterium prætermittam, Puffendorfius necnon Thomasius occurrunt. Ille, quamvis Grotio valdè inferior esset, tamen utilis fuit ; juri gentium ac naturæ solidissimi animi vires intendit ; scientiam verò magis præteritam collegit quam futuram condidit ; imò interdum veritati errores nonnullos miscuit. Hic, acer et audax, novas de jure gentium doctrinas propagavit, atque scolasticorum methodum et linguam lacessivit.

Quos quidem Leibnitius valdè superavit.

Ad jus, ut ità dicam, necessitudine quâdam rapiebatur ; nempè avus maternus juris professor fuerat. Idèo ut pote qui animum uno rerum genere explere non potuit, adhuc

(1) *Arth. Duck*, de Auct. jus. civ., lib. II, c. V.

adolescens jurisprudentiæ ingenii primitias et quasi primos amores dedit. « Cùm enim, ait (1), me juris studio destinatum intellexissem, statim, missis omnibus, illuc animum appuli, undè major studiorum fructus ostendebatur. Sensi autem magnam mihi facilitatem ad jurisprudentiam comparandam afferre priora studia historiarum et philosophiæ, quare leges facillimè intelligebam et non diu hærens in theoriâ quam velut facilem despiciebam, ad praxin juris animum appuli. Erat mihi amicus... provincialis Lipsiensis quam vocant *die Hofgerichte* consiliarius assessor. Is et me secum ducebat sæpè et acta legenda dabat et quâ ratione concipiendæ essent sententiæ exemplis docebat. Ita ego maturè in hujus scientiæ intima penetrabam ; judicis enim munere delectabar, advocatorum versutias aversabar, eamque ob rationem nunquam causas orare volui, tametsi omnium consensu validè satis atque aptè germanicâ quoque linguâ scriberem. Atque hoc quidem modò septendecim ætatis annos explevi. »

Hujus temporis studiorum vestigia nonnulla sunt. Nempè anno MDCLXIV, ut magistri philosophiæ gradum adipisceretur, disputationem quamdam, cui nomen erat *Specimen difficultatis in jure,* seu *quæstiones philosophicæ amæniores ex jure collectæ,* edidit. Hoc sibi inprimis proponebat, ut exemplo quodam jurisconsultis philosophiæ contemptum demeret, ità ut viderent « plurima sui juris loca sine hujus ductu inextricabilem labyrinthum fore et veteres suæ scientiæ auctores mystas quoque sapientiæ summos extitisse. » Anno sequenti, alteram disputationem defendit, scilicet *Specimen certitudinis seu demonstrationum in jure, exhibitum in doctrina conditionum.* Hîc juridicam logicam di-

(1) Vita Leibnitii à se ipso breviter delineata, apud *Guhrauer.*

tare conatur, severissimæ veterum jurisconsultorum methodi admiratione motus.

« Jàm verò consulendum erat de ratione vitæ atque eo quod vulgo vocant promotionem. Facultas juridica Lipsiensis constat duodecim assessoribus qui à professoribus sunt diversi. Hi vacant responsis potius atque consultationibus quàm lectionibus atque disputationibus. In eam recipiuntur omnes doctores juris Lipsienses, ordine doctoratûs, ubi primum vacuus ipsis locus fit, alterius decessu. Ego videbam, si maturè doctor crearer, me inter primos fore fortunamque in tuto collocaturum ; sed tùm forte ingens orta erat disputatio, cùm quidam soli doctores creari vellent, aliis junioribus exclusis et in aliam promotionem dilatis. Ego animadverso artificio æmulorum, mutato consilio ad peregrinationes animum applicavi, indignum ratus juvenem velut clavo affigi certo in loco. »

Paulò post in Academiâ Noricâ, anno ætatis vigesimo primo, doctoris gradum sumsit, si ipsi credendum est, « maximo omnium applausu. » Disputatio ejus quoddam adhuc *Specimen difficultatis in jure,* seu *dissertatio de casibus perplexis,* erat. Tanta laus Leibnitii apud Norimbergenses fuit, ut ei in illâ Academiâ professoris munus offerrent : quod quidem detrectavit, longe alia mente agitans.

Anno MDCLXVII, cùm in diversorio Francofurtano versaretur, libellum quemdam *De novâ methodo jurisprudentiæ discendæ docendæque* composuit aut potius celeriter effudit, ut esset quod electori Moguntino dedicaretur. « Cum viderem, ipse ait, quàm multa superflua et obscura et quàm non suo loco in legum corpore dicerentur, miserebar juventutis tempus nugis terentis : videbam non difficile esse mederi huic malo et ab homine accuratè ratiocinante posse omnia in paucas redigi propositiones. »

Pauló post, Georgii Ulicovii nomine, *Specimen demonstrationum politicarum pro eligendo rege Polonorum* scripsit. In eo rationes exponebat quibus Poloniæ nobilitas ad eligendum Philippum Wilhelmum Neoburgensem, Comitem Palatinum, incitaretur. Jàm quantum ad principum favorem usurpandum jurisprudentia proficeret Leibnitius senserat. Eodem anno MDCLXIX, *Rationem corporis juris reconcinnandi* edidit, suasque de Romanæ jurisprudentiæ nævis atque emendatione opiniones sagacissimè detexit.

Anno MDCLXXVII, principum Imperii causam, ut ità dicam, amplexus est quorum legatis ii honores Noviomagi denegati erant qui Italiæ principibus concedebantur. Quamobrem *de jure suprematûs ac legationis principum Germaniæ* tractatum composuit; simulatam veró personam induit, scilicet Cæsarini Furstenerii, quasi indicare vellet se, quamvis principes sustineret, Imperatori tamen nullo modo infensum, imô amicissimum esse.

Anno MDCXCIII, post longa per Europam itinera, quæ ad historiam Brunsvicensium principum scribendam inierat, regressus suum *Codicem juris gentium diplomaticum* in lucem prodidit, in quo pretiosissima et quàm plurima acta collegerat ; anno MDCC quoddam supplementum sive, ut ipsius verbis utar, *Mantissam* adjecit. Anno sequenti, *Cogitationes de iis quæ juxta præsens jus gentium modernum requiruntur ad Majestatem regiam, occasione coronationis regis Prussiæ*, emisit. Ut ex iis omnibus manifestum est, suâ juridicâ eruditione uti Leibnitius non dedignabatur, ut suam fortunam adaugeret et cuicumque nascenti potentiœ blandiretur. Altissimas inter meditationes, in terram interdum descendebat. Tùm juri invigilabat ut patronos sibi adsciseeret. Idèo à nonnullis principibus *consiliarii* honores accepit.

Cùm vero philosophus esset, non poterat quin naturæ juri

et, ut ità dicam, juris naturæ attentissimè studeret. Hinc *Observationes de principio juris,* necnon *Monita quædam ad S. Puffendorfii principia,* in quibus, sursùm quasi evolans, Dei, ethicæ atque juris fundamenta penitus indagavit.

Tot et tanta opera, quæ quasi ludicrè et obiter de jure edidit, satis ad cujusvis vel eximii jurisperiti vitam implendam atque illustrandam valerent (1).

Quæ quùm ità essent, quid nobis legum amatoribus non sperandum fuisset, si nullam aliam ad rem quàm ad jurisprudentiam summi animi vires adhibuisset, si omninò noster mansisset. Habemus tamen undè non nulla solatia hauriamus : etenim tùm quod amisimus philosophiæ magnopère profuit ; tùm quæ vestigia suî nobis Leibnitius tradidit nullo modo despicienda sunt.

Hæc verò omnia, quibus gravissimi jurisconsulti nomen Leibnitius adeptus est, in lucem restituere mihi neque in animo, neque in promptu esse potest ; quippe qui, si tàm porrectum curriculum temerè ingrederer, aut defessus mediâ in viâ starem aut nimiâ cum celeritate procedere deberem. Necesse igitur habui quidquam ex juridicis Leibnitii operibus excerpere.

Quid verò magis mihi eligendum erat quàm illa *docendæ discendæque jurisprudentiæ nova methodus* (2) ? Nempè illa, quamvis admodum juvenis, vix è scholis egressus, Leibnitius eam scripserit, non exiguæ auctoritatis esse videtur ;

---

(1) De jure apud Leibnitium, vide G. G. Leibnitii operum omnium studio *Ludovici Dutens* editorum tomi quarti partem tertiam ; de nostri vitâ, Leibnitz's Biographie von *Guhrauer.*

(2) Apud *Dutens*, t. IV. p. III, 169. Hoc opus antecedunt *Christiani de Wolf* præfatio ; ac Moguntinæ sedis archiepiscopo dedicatio, atque ipsius Leibnitii ad lectorem præfatio.

opusculi formam habet, magnum opus est. Talem librum ab adolescente scriptum fuisse vix crederes, tantum eruditionis atque animi roboris inest. Veterum atque recentium volumina Leibnitius non modò legerat, sed jàm, ut ità dicam, vicerat; eorum vitia, defectus, ambages perspicit atque indicat; quid desit, quid sit addendum, demendum, corrigendum, perficiendum monstrat; quamvis ætate adhuc discipulus sit, maturo ingenio magister est; vix è doctorum manibus elapsus, eos jàm docere ac reprehendere potest.

In eo libro quæcumque de jure noster cogitaverit quasi agglomerata et collecta reperiuntur, ex eoque abundè apparet quid de quâque præcipuâ jurisprudentiæ parte senserit. Adde quod liber ille nimis juridicus nuncupari nequit; nempè quæ ad methodi rationem et disciplinarum partitionem spectant, nunquàm à philosophiâ aliena habentur (1). Ceterùm ne istius modi exprobrationibus ullus locus versaretur, cavendum esse mihi arbitratus sum, ne judicialibus seu verbis sive sententiis hæc disputatio nostra nimium obscuraretur; omnesque à Leibnitio citatos libros, ex quibus tamen utilissimus index conflaretur, præterire statui, videlicet ratus satis mihi esse, si *Novæ methodi* substantiam et quasi medullam feliciter extrahere possem. Quàpropter quæ magis ad forum quàm ad palæstram pertinerent quantùm potui removi aut coarctavi; ea præsertim expromere nisus sum, quibus mortalium quilibet delectari deberet, si modò doctrinâ non omnino indigeret; quæ apud nostrum valdè abundant. Etenim, ut *J. B. Bon* aiebat (2), « illud in operibus Leibnitii contingit pecu

(1) Rapport du ministre *M. Cousin* au Roi et ordonnance royale du 25 juin 1840.

(2) Præfatio ad partem jurisprudentiæ G. G. Leibnitii.

liare, ut sæpè sub paucis verbis ingeniosa systemata et profundæ lateant meditationes, quæ latius explicatæ scientiarum progressui multum possunt prodesse. »

Hujus igitur operis, etsi pænè, si tempora respicias, omnium ejusdem auctoris princeps sit, Leibnitius, jàm celeberrimus factus, meminisse et quidem non sine superbiâ quâdam legitimâ poterat. Quare miror equidem eum posteà de hoc opere tantùm non contemptim locutum esse. Nempe ad Vincentem Placcium, novem post annos, hæc scribebat : « Methodus nova discendi docendique juris liber est effusus potius quàm scriptus, in itinere, sine libris, sine poliendi otio ; alioquin facilè credas exactius quiddam à me potuisse dari : præterèa multa sunt quæ nunc ne probo quidem. Quare quod ais in nonnullis te dissentire, non miror ; nam ego quoque mutarem non pauca, si malè tornatum opus incudi reddere liceret. Scis ubi primus scribendi calor deferbuit, nos nobis ipsis maturiore jàm judicio displicere. Sed et amicis tunc obsecutus sum qui festinatam licet scriptiunculam mihi notitiam magnorum virorum et favorem principum parare posse non ex vano conjecere. Sed et nonnulla dixi quorum ne nunc quidem pænitet. Sed de fato libri dudum à me pro derelicto habiti non sum admodum sollicitus, nec cuiquam ejus censori succenseo (1). »

Hîc severior in se Leibnitius fuisse mihi videtur; etenim, ut ait *Wolfius* (2) qui interdum in præfatione et ipse nimiâ

---

(1) Apud *Dutens*, t. VI, p. 4.
Eadem ad *Bierlingium* amicum Leibnitius scribebat. T. I, p. 379.

(2) Inter eos qui Leibnitii de jure doctrinas amplexi sunt et propagaverunt, is maximè nominandus est.

severitate usus est, « hoc opusculum monumentum excelsi ingenii est. » Attamen ex ipsius Leibnitii consensu non semper cum *Novâ methodo* consentiendi licentiam pudenter sumam.

PARS PRIMA

DE RATIONE STUDIORUM IN UNIVERSUM

Disciplinæ omnes quibus humanum genus invigilare possit arctissimo quodam inter se consortio sociantur, methodique præcepta, etsi, prout quæque scientia postulat, multùm inter se differant, tamen aliquo modo communis quidquam semper retinere videntur. Idèo, ante quam Leibnitius de jurisprudentiâ disserat, generalia quædam de studiorum ratione præmittit.

Rationem autem studiorum ità definit, ut « modus perveniendi ad statum actionum perfectarum » esse videatur. Statum verò illum sive *habitum* nihil aliud esse ait quàm, (ut Leibnitii verbis bonâ veniâ utar, quippe quarum barbaries non mea sit,) « agendi promptitudinem acquisitam permanentèm. »

His definitionibus positis, primùm de hujus habitûs causis, dein de hujus materiâ sive *objecto,* denique de studiorum modo disputat.

CAPUT I

DE HABITUS CAUSIS

Habitûs causas duas Leibnitius invenit : 1° *supernaturalem infusionem*, quæ est seu divina sive diabolica ; 2° *naturalem assuefactionem*, quæ in *actionum* vel *multitudine*, vel *magnitudine* consistit.

De supernaturali quidem infusione tanquàm suprà mortalium potestatem sitâ perpauca dicit.

Multitudo verò actionum ad id valet, ut res, si tota oppugnetur insuperabilis, per partes demum vincatur. Undè repetendi necessitas oritur, « à quâ præcipuè ultimum habitûs requisitum, *permanentia*, dependet. » Repetitio autem non usquè ad anni terminum differenda est ; « sed decet sub noctem diurna studia, exitu septimanæ summam dierum, exitu mensis summam septimanarum et fine anni summam mensium summari et ex singulis gradibus notatu gravissima ruminari. » Quod quàm utile ac laudabile sit omnibus conspicuum est. Prætereà, ut repetitio sine discipulorum nimiâ lassitudine fructus suos producere valeat, jubet inter pueros laborem quasi dividi, non pluribus eamdem lectionem assignari, ità ut, uno recitante aut respondente, ceteri attendentes portionem ejus ludendo discant.

Hæc de multitudine actionum. Magnitudo verò non minùs efficax est ; sæpe enim una actio nos tàm vehementer percellit ut ejus vestigium quoddam firmiter maneat altâ mente repostum. « Consultissimum autem est multitudinem magnitudinemque temperare. Quod fit egregiè, si à minimis incipiendo continuò per gradus ad summa crescat actio. »

Hactenùs de assuefactione, seu habitûs causâ etiam sensu carentibus communi. Nempè noster quidquid actionis capax est *subjecti* nomine complectitur, et inanimata certis actionibus assuefieri posse contendit. Posteà, tanquàm gradatim prodiens, ad *doctrinam* venit, cujus est habitum in sentientibus educere. Doctrinæ verò leges tres sunt : videlicet ut solidè, ut citò, ut jucundè doceatur. Ut firmiter animi instituantur, actionum multitudo efficit ; ut citò, magnitudo ; de quibus jàm dictum est. Jucundè docendi ratio non nisi in animalibus locum habet, tùm si finis jucundus ipsis proponatur, verbi gratiâ brutis esca et blanditiæ, hominibus verò utilitas et honos, tùm si media jucunda sint, quod fit si ludendo doceatur.

Protinùs *institutionem* quasi summum gradum aggreditur. Nempe assuefactionem simul inanimis, brutis et hominibus communem esse vidimus ; doctrinam verò brutis tantùm et hominibus ; institutio autem hominis propria est.

Quantùm ad hominem attinet, hujûs habitus vel ad *memoriam,* vel ad *inventionem* vel ad *judicium* spectant : undè et *didactica* istorum habituum triplex est : *mnemonica, topica, analytica.* (Quæ quidem divisio est tota Baconi) (1). Quibus denique *methodologia* non immeritò addetur. « Mnemonica præstat materiam, methodologia formam, logica (quæ topicam et analyticam continet) applicationem materiæ ad formam. »

Mnemonicæ quidem fundamentum vel in comparatione quâdam vel in connexione consistere Leibnitio videtur : optimum

(1) De augmentis scientiarum, l. II, cap. I.
« Partitio doctrinæ est ea verissima quæ sumitur ex triplici facultate animæ rationalis, quæ doctrinæ sedes est. »

verò auxilium in verbis versatur. « Verba enim non tantùm signa sunt cogitationis meæ præsentis ad alios, sed et notæ cogitationis meæ præteritæ ad me ipsum. »

Topica, seu ars inveniendi, tota est in locis ; analytica seu ars judicandi in duabus his regulis : « 1° ut nulla vox admittatur, nisi explicata ; 2° ut nulla propositio, nisi probata. » Quas quidem duas regulas longè absolutiores esse Leibnitius arbitratur « quàm quatuor illas Cartesianas (1) in primâ philosophiâ, quarum primaria est : quidquid clarè distinctèque percipio, illud est verum, quæ infinitis modis fallit. »

« Methodologia, seu ars disponendi, versatur circa methodum. Methodus autem est vel *naturalis*, cujus hæc est regula : quidquid sine altero cognosci potest, non verò alterum sine ipso, illud alteri præponi debere ; vel *occasionalis*, cujus nulla generalis regula tradi potest, sed variat infinitis modis. »

De hâc partitione nihil habeo quod dicam ; quæ verò Cartesio

---

(1) *Descartes*. Discours de la méthode, seconde partie. « Au lieu de ce grand nombre de préceptes dont la logique est composée, je crus que j'aurais assez des quatre suivants, pourvu que je prisse une ferme et constante résolution de ne manquer pas une seule fois à les observer. Le premier était de ne recevoir aucune chose comme vraie que je ne la connusse évidemment être telle, c'est-à-dire d'éviter soigneusement la précipitation et la prévention et de ne comprendre rien de plus en mes jugements que ce qui se présenterait et si distinctement à mon esprit que je n'eusse aucune occasion de le mettre en doute. Le second, de diviser chacune des difficultés que j'examinerais en autant de parcelles qu'il se pourrait et qu'il serait requis pour les mieux résoudre. Le troisième, de conduire par ordre mes pensées en commençant par les objets les plus simples et les plus aisés à connaître pour monter peu à peu comme par degrés jusques à la connaissance des plus composés et supposant même de l'ordre entre ceux qui ne se précèdent point naturellement les uns les autres. Et le dernier, de faire partout des dénombrements si entiers et des revues si générales que je fusse assuré de ne rien omettre. »

exprobrantur admittere nequeo. Etenim quùm Gallicæ philosophiæ pater hoc diceret : quidquid clarè distinctèque percipio illud est verum, animum nunquàm in veri indagatione errare nullò modo contendebat, tantummodò ac meritò significabat de universis rebus non dubitandum esse, mentemque quùm evidentissimo conscientiæ testimonio fidem adhiberet, haud insulsè agere. Quod quàm verum sit illi profectò demonstrant qui de suâ ipsorum mente dubitantes veritatem omnem eruunt et ejiciunt. Ceteræ verò Cartesii regulæ tantùm abest ut fallaces aut supervacaneæ sint ut ipsas Leibnitii præceptiones non modò superent, sed etiam contineant. Nempè duæ Leibnitii regulæ reipsà à Cartesianis minimè differunt; verùm quùm Leibnitius universè suadeat ut verum ratione præcisè ac diligenter inquiratur, Cartesius (quod multò præstat) vias, ut ità dicam, monstrat per quas firmiter hæc inquisitio fiat.

CAPUT II

DE HABITUS OBJECTO

Ad objectum transiens, id est ad ea quibus hominum quisque vires intendere valeat, Leibnitius habituum genera duo secernit : unum quod ad corpus, alterum quod ad animum spectat.

Ipsi autem *corporis habitus* vel sunt *circa actionem opus relinquentem,* vel *facti transeuntis :* undè nova partitio quædam oritur.

Artes opus relinquentes vel *naturam promovent,* uti agricultura, horticultura, ars pastoritia, medica, chimica, etc. ; vel *suum solæ peragunt* totumque opus exequuntur, veluti ars

pictoria quæ in conjunctione consistit, statuaria quæ in separatione, pistoria quæ in transformatione, multæque aliæ quæ quodam modo mixtæ videntur.

Artes facti transeuntis seu opus non relinquentes consistunt vel *in promotione alterius,* sicut ars navigandi, currum agitandi, equitandi, jaculandi, chartas pictas artificiosè miscendi, etc., vel *in motione meì,* seu totius corporis velut ars saliendi, currendi, saltatoria, funambularia, volandi, natandi, etc., sive corporis certæ partîs, verbi gratiâ ars flendi, loquendi, canendi, sapores discernendi, bibendi, necnon (vix credibile est!) « nonnullorum promptitudo hausta cùm velint reeffundendi. » Adde artem musicam organicam, artem gestuum atque histrionicam.

Ad *animi habitus* posteà noster decurrit. Omnem animi habitum cogitationem esse (1); cogitationem verò, omnem propositionis cujusdam esse contendit. Propositiones autem ratione terminorum partitur, quæ aut simplices aut compositi sunt.

Quare duo genera distinguenda sunt : primum quod philosophiæ abstractæ vocabulo continetur, quodque *qualitatibus sensibilibus,* studet, seu mente tantùm perceptis, indè metaphysica, logica, doctrina pneumatica, scilicet quæ de Deo, angelis animoque nostro agit, necnon justi atque utilis scientia ; seu phantasiâ perceptis, indè arithmetica, geometria et physica; alterum quod philosophiam concretam Leibnitius vocat, in quo nihil denuò demonstratur, sed rerum qualitates historicè recensentur. Concludit omnia cosmographia, quæ astronomiam et historiam complectitur.

---

(1) Voluntas quoque, si Leibnitio credis, cogitatio est ; nempe ait, «velle nihil aliud est quàm cogitare rei bonitatem.» Hìc quidem graviter errare atque omnia permiscere Leibnitius mihi videtur; nam aliud est cogitare, aliud velle, aliud etiam sentire; necnon hæ animi facultates, quamvis penès eumdem versentur, tamen distinctæ manent. Ceterùm sæpe rei cujusdam bonitatem cogitamus, nec tamen eam rem volumus.

His divisionibus explanatis, Leibnitius sic gloriatur : « Hâc meâ disciplinarum partitione certus sum omnia exhausisse ipsaque scientiarum elementa breviter, sed solidè adumbrasse. »

Quam quidem partitionem si recognoscas, non prohibere poteris quin eam in quibusdam magis subtilem quàm utilem existimes. Etenim verbi gratiâ artem alimenta è stomacho rursùs effundendi nominare jàm ridiculum est. Atenim sciendum est Leibnitium non tantùm disciplinarum atque artium, sed omnium rerum quarumcumque quibus mortales invigilare possint partitionem quæsivisse : de corporis habitibus cùm loqueretur, de istius modi artibus dissereret forsan necesse erat. Restant tamen quæ haud immeritò reprehendenda sint. Quomodo enim fit ut ars loquendi, quæ unum è nobilissimis omnium ingenii nostri muneribus habetur, isti absurdæ alimenta effundendi arti, pictoria verò pistoriæ assideat ? Ne plura, quid refert utrùm artes opus relinquant necne ? Melius est eas in duo genera dividere : unum quod liberales, alterum quod mechanicas comprehendat (1).

Quantùm verò ad animi habitus attinet, illam equidem divi-

(1) Confer *Bossuet*. Traité de la connaissance de Dieu et de soi-même, c. I, § XV.

Aliam divisionem apud ipsum Leibnitium inveni. (Nouveaux Essais sur l'entendement humain, l. IV, c. 21, § 1,2 et 3). « Tout ce qui peut entrer dans la sphère de l'entendement humain est, ou la nature des choses en elles-mêmes, ou en second lieu l'homme en qualité d'agent tendant à sa fin et particulièrement à sa félicité, ou en troisième lieu les moyens d'acquérir et de communiquer la science. Et voilà la science divisée en trois espèces. La première est la *physique* ou la *philosophie naturelle* qui comprend non-seulement les corps et leurs affections comme nombre, figure, mais encore les esprits, Dieu même et les anges. La seconde est la *philosophie pratique* ou la *morale* qui enseigne le moyen d'obtenir des choses bonnes et utiles et se propose non-seulement la connaissance de la vérité, mais encore la pratique de ce qui est

sionem vituperare nolim, quâ philosophia abstracta à concretâ distinguatur quâque hinc principia, illinc res, ut ità dicam, collocentur. Sed ista tandem cosmographia, astronomiam et historiam continens, quæ extrà præcedentem partitionem versatur, nonne quidquam parùm rationi congruum in se habet? Ceterùm bis iisdem rebus, primò abstractæ, dein concretæ philosophiæ nomine, inservire utrùm logica suadet? Malo, fateor equidem, non modò Baconianam disciplinarum partitionem quam magni nimirum viri secuti sunt (1), sed illam etiam per quam scientiarum tria quasi agmina recognoscuntur : unum quod naturæ inquisitionem sibi proponit, sive naturalium ac physicarum scientiarum ; alterum quod abstractas rerum dotes exactissmè describit, sive scientiarum mathematicarum ; tertium quod ad humanam mentem Deumque respicit, sive, ut aiunt, scientiarum moralium.

CAPUT III

DE MODO STUDIORUM

Operæ pretium est quo modo quâque ratione discipulos informari atque instrui philosophus noster velit considerare.

---

juste. Enfin la troisième est la *logique* ou la connaissance des signes.

.... Il y a encore une division civile des sciences selon les facultés et les professions. »

(1) *D'Alembert.* Discours préliminaire de l'Encyclopédie.

« Ces trois facultés forment d'abord les trois divisions générales de notre système et les trois objets généraux des connaissances humaines : l'histoire qui se rapporte à la mémoire, la philosophie qui est le fruit de la raison, et les beaux-arts que l'imagination fait naître. »

Haud quidem Leibnitius veretur, ne vel nimis vel maturius pueri doceantur ; non minùs institutionis artem quàm ingenii magnitudinem ad scientiam adipiscendam proficere existimat. « Judicium enim, ait, etsi ante annos non veniat, potest tamen et in pueritiâ interrogando excitari. » Non verò id requirit, ut citò juvenes ad munera publica, sed ut digni veniant. « Quia enim vita brevis, ars longa est, non potest nimis institutio accelerari (1). »

Omne autem educationis tempus in quatuor partes Leibnitius dividit : prima domi apud parentes degitur ; secunda in scholis apud magistros ; tertia in academiâ vel aulâ unà cum amicis ; quarta peregrinationi datur.

Infanti tria discenda esse jubet : primùm et ante omnia linquam (præcipit autem ut per usum non modò patria, sed et latina lingua doceatur) ; dein gestus quos inter moratos cultosque homines quotidie veniendo facilè cognoscet ; denique historiam.

« Cùm verò sextum annum attigerit, mittatur in ludum publicum, quæ res conversationem et tamdem amicitias per vitam duraturas præbet ; vivat parùm apud parentes, ut discat ad propriam prudentiam refugere ; assuescat exercitiis, arti musicæ, saltatrici, gladiatoriæ, jaculatoriæ, pictoriæ aliisque in vitâ necessariis, vel decoris, inprimis verò elegantiæ verborum. Accedat verò et historiarum veterum specialior cognitio et diligentissima matheseos cura, » necnon et physicæ elementa. « Addatur exercitium styli non litteris tantùm, sed et sermone et quidem extemporaneo. »

« A duodecimo ad decimum octavum annum liberalius tractetur, præceptoribus non subsit, sed amicis. » Tunc discat artium mechanicarum fundamenta, commerciorum rationem, medi-

---

(1) Vide Leibnitii præfationem.

cinæ, theologiæ, jurisprudentiæ elementa, (optandum enim quemlibet hominum esse aliquatenùs medicum, imò jurisconsultum et theologum), linguas gallicam et italicam, Hebraicæ Græcæque tantum ut intelligere ipsi vetus novumque testamentum liceat. Prætereà declamet publicè et in comædias prodeat. « Sed primariò exerceatur in eâ professione in quâ suas aliquando dotes explicaturus est. Habeat quoque et librorum cognitionem, quæ mirum quantum et ornamenti et utilitatis præstet. Vivat hoc tempore non in scholâ, sed academiâ vel aulâ et alioqui loco celebri, in quo in magnorum virorum notitiam familiaritatemque venire liceat, quod est fundamentum hodie promotionis (1). »

Hæc quidem puerilis intelligentiæ exercendæ methodus quàm valdè liberalis et cujusque ætatis viribus accommodata esse videatur, neminem fugit. Quippe per quam solidè, citò ac jucundè doceatur. Nullo modo morosum pædagogum olet ; scientias, litteras atque artes consociat, necnon utile dulci mirabiliter miscet, ità ut ex omnibus ingenii humani seminibus nullum tanquàm arescat, sed omnia excolantur atque efflorescant.

Hoc inprimis mihi placet quòd infantiam grammaticæ tædiis non afficiat, sed cujusque animi facultatis ortum, ut ità dicam, expectet, non eas ante sollicitet quàm natæ sint, memoriam primùm exerceri et ornari jubeat quæ prima vigere solet.

Quod ad sequentem pueritiæ periodum attinet, Leibnitius puerum parentibus suis immaturè eripere mihi videtur. Nempè veluti flores sine dulci quodam calore crescere nequeunt, ità parvuli matris blanditiis, curis atque amore indigent. Quid quod mathematicæ studium ante tempus intervenit ac, meâ quidem sententiâ, suprà impuberum vires versatur.

(1) Transeundo, Leibnitius eam verissimam opinionem promit, quæ nobis præcepto esse deberet : « Non decet academias esse in locis minutis atque obscuris. »

Ceterùm quatuor illæ periodi non quoscumque adolescentes decent, sed tantummodo eximios : quod quidem Leibnitius ipse sentiebat, cùm diceret, si tardius ingenium esset, studiorum quasi curriculum usque ad vicesimum annum producendum esse. Ideò eam veterum divisionem mallem, qui pueritiam, pubertatem atque adolescentiam distinguebant et in tria septennia partiebantur.

PARS SECUNDA

AD JURISPRUDENTIAM RESTRICTA

Jurisprudentiæ quidem tradendæ methodum ut perficiat, duo Leibnitius sibi proponit : primùm ut jurisprudentiæ perfectæ ideam, ut ipse ait, delineet; dein ut vias ad illam perfectionem grassandi designet.

Quidquid verò ad jurisconsulti perfecti eruditionem pertinet theologiæ instar in quatuor partes dividit : « *didacticam* seu positivam ea continentem quæ in libris authenticis expressè extant et certi juris sunt ; *historicam* originem, auctores, mutationes abrogationesque legum enarrantem ; *exegeticam* ipsos libros authenticos interpretantem ; et denique apicem ceterarum *polemicam* seu controversiariam casus in legibus indecisos ex ratione et similitudine definientem. »

Quamvis didacticam et polemicam propriè jurisprudentiæ partes esse dicat, historicam verò et exegeticam non omninò ad quotidianos vitæ usus necessarias esse fateatur, tamen hæc omnia jurisconsulto magnoperè commendat : « nam si quis

negare audeat, non poterit ex historiâ legibusque demonstrare; idèo empirici magis nomen merebitur quàm ejus qui veram in jure philosophiam sit assecutus. »

Hanc quidem partitionem haud immeritò Leibnitius sibi plaudit quòd à theologiâ sumpserit atque ad jurisprudentiam transtulerit. Nempe mira utriusque scientiæ similitudo; utraque *duplex principium* habet : partim *rationem*, partim *scripturam* seu librum quemdam authenticum leges positivas continentem.

Theologiam quidem jurisprudentiæ speciem quamdam esse, neque ullam aliam disciplinam jurisprudentiæ propiorem ac similiorum existere, nemo est si attendat qui negare possit; illam verò solertissimam atque ingeniosè excogitatam similitudinem nullo modo necesse erat Leibnitius tot et tàm exilibus quùm argumentis, tùm exemplis confirmaret.

Leibnitius eos reprehendit qui huic comparationi medicinam, philosophiam ac mathesim miscuêre. De medicinâ quidem ac philosophià nihil habeo dicere, quippe quarum methodus à jurisprudentiæ methodo sanè aliena videatur, etsi jurisprudentia naturalis quædam cum philosophiâ communia habeat. Mathematica verò ac jurisprudentia in eo nimirùm comparari possunt quòd de certis definitionibus consequentias quasdam pariter deducunt.

CAPUT I

DE JURISPRUDENTIA DIDACTICA

Juris elementa (sive *jurisprudentia didactica*) non methodo alphabeticâ, sed accuratâ et solidâ disponi debent. Mirum enim

quàm in methodo naturali res rem explicet et memoria juvetur.

Utrùm his conditionibus Justinianus morem gesserit necne, posteà à Leibnitio quæritur. Nemini autem jurisperito ignotum est Triboniani methodum aliam in Institutis, aliam in Digestis et Codice fuisse. Etenim, si Institutiones respicias, « omne jus quo utimur vel ad *personas* pertinet vel ad *res* vel ad *actiones* (1). » Huic quidem partitioni (à Gaio sumptæ quod Leibnitium fugiebat), quatuor Justiniani Institutionum libri, quamvis non sine quâdam confusione, obediunt. Nempe primus de personarum jure potestatem dominicam ac patriam, nuptias, tutelam ac curam, omnem videlicet in ipsas personas sine rerum interventu potestatem, explicat; secundus ac tertius res considerant, seu res *principaliter* interveniant, ut non certa persona, sed certa res propriè teneatur, quod est *jus in re*, aut inter vivos, hinc dominium, servitus, ususfructus, usus, habitatio, aut ex successione, hinc hereditas ab intestato vel ex testamento; sive res *minus principaliter* interveniant, ità ut teneatur certa persona, non verò certa res, tùm dicitur *jus ad rem*, quod est vel ex contractu vel quasi ex contractu, vel ex delicto vel quasi ex delicto. Ad quartum actiones, exceptiones et denique judicis officium pertinent.

In Digestis verò ac Codice meras solasque actiones ordine *Edicti perpetui* Tribonianus recensuit.

Quam quidem methodum Leibnitius et vehementer vituperat et in eos valdè indignatur qui vel approbant vel servandam esse censent. Præsertim medii ævi jurisconsultos lacessit: « Satis habentes, ait, si leges glossis, judices consiliis obruerent, quemadmodum igitur theologi illorum temporum ad sententias et Thomam, philosophi ad summulas et Aristotelem, ipsi ad juris

(1) Inst., lib. I, tit. III, pr.
Gaii Comm., I, § 8.
Dig., L. 1, de statu hominum.

corpus sua allinebant, quin imò videntur pro certo habuisse methodo legum semper esse utendum, quasi eæ et in logicam exercerent imperium. »

Istorum servum pecus Leibnitius non sequitur ; verùm quæ in Institutionibus sibi reprehendenda esse videantur liberè expromit. « Primùm in ipsâ methodo Justinianeâ labor crescit in duplum, dùm alia est Institutionum, alia Digestorum Codicisque methodus. » Ipsum verò Institutionum ordinem rejicit : 1° quia, cùm actiones tàm ex jure personarum quàm rerum descendant, capite alio atque res et personæ contineri néqueunt ; 2° quia et ipsæ personæ, verbi gratiâ servi ac filii familiâs, interdum pro rebus habentur ; postremò quia hæc methodus non ex juris, sed ex facti visceribus sumpta est. Adjicit hanc hodierno ævo planè non accommodatam esse, quippe quæ jura ecclesiastica ac feudalia omittat.

Digestorum verò ac Codicis ordinem (1) tantùm ad hodierna quantùm sus ad Minervam pertinere ait. Quod nequaquam severius esse videtur, cùm ipse Justinianus Pandectas in septem partes divisisse fateatur, ut divisionem numerorum naturæ et arti consentaneam conficeret (2).

Hæc quidem exprobria cujus momenti sint nunc videndum est. Quantùm ad actiones spectat, certum est eas semper à personâ et plerumque ob rem exerceri, (nempe personæ de rebus per actiones litigare solent, ità ut personarum jure planè exposito nihil jàm amplius exponendum sit) (3) ; res verò ac personas

(1) *Bluhme.* Die Ordnung der Fragmente in den Pandektentiteln.

(2) Cod., L. 2, de veteri jure enucleando.

(3) *Blondeau.* Essais sur quelques points de législation et de jurisprudence, p. 57. (De la réforme des classifications juridiques). « Le droit privé n'a véritablement qu'un seul objet : ce sont les droits ou obligations des simples particuliers. Ces droits ou

nonnunquam inter se misceri, ut in servi exemplo. Tria igitur Justinianeæ partitionis membra inter se confunduntur; confusio autem quàm maximum omnis partitionis vitium est. Verùm aliud et quidem gravius Institutionum methodo objicitur, scilicet quòd à facto, non à jure petita est. Jurisprudentiæ porrò materia in jure, non in facto consistit.

« *Personæ* enim et *res* sunt facti, *potestas* et *obligatio*, etc. juris termini. Et si semel methodum facti eligere voluit, cur non continuavit? Cur non subdivisit personas et res ex physicis et ethicis, verbi gratiâ, *personas* in surdos, mutos, cæcos; hermaphroditos, perfectos; viros, feminas, impuberes, minores, adultos; divites, pauperes; nobiles, magistratus, rusticos, pereg-rinos; hæreticos, schismaticos, etc.; *res* in dividuas, individuas, pretiosas, viles, mobiles, immobiles, se moventes, thesauros, nummos, res fungibiles; quadrupedes, equos, feras, etc.? Cur, inquam, non ità titulos juris distribuit et in singulis quid juris esset explicuit? Agnovit scilicet hâc ratione secuturas infinitas repetitiones, nec posse rem ad universalia redigi. Perindè ac si geodæta non formæ, sed materiæ ratione doctrinam suam partiretur, et ageret de dimensione agrorum, pascuorum, camporum arenosorum, argillosorum, saxosorum. Quis non hunc novum Euclidem rideret? (1). »

---

obligations se rapportent ordinairement aux choses, et il est évident qu'ils appartiennent toujours aux personnes. Les actions en forment une classe particulière, savoir celle des droits qui ont pour but d'assurer l'accomplissement d'autres droits. »

(1) *Blondeau*. Sur les méthodes de classification en jurisprudence, libro citato.

« Que penserait-on d'un botaniste qui nous dirait que la science des plantes a trois objets : 1° les jardiniers, 2° le sol, 3° les arbustes? L'excuserait-on, parcequ'il expliquerait son idée en disant que sous le premier chef il fera connaître les plantes qui ont

Hæc quin vera sint nemo negare potest. Sunt tamen etiam nunc non modò apud Germanos, sed et apud nos qui Justinianeam partitionem sequuntur. Imò illa methodus adhuc in Codice civili nostro regnat (1). Cur id evenerit cognoscere operæ pretium est.

---

besoin de culture à l'exception des arbustes ; sous le second celles qui viennent sans culture, non compris encore les arbustes, et enfin sous ce dernier les arbustes de toute espèce? »

(1) Non tamen sine magnis discriminibus regnat. Quamvis enim plerique Codicem nostrum methodo *exegeticâ,* idest ad verbum aut potius ad articulum interpretentur, nonnulli *dogmaticam* malunt.

Marcadé. Explication théorique et pratique du Code Napoléon, préface, p. 3.

« Dans la méthode dogmatique, dans le traité l'auteur met ses divisions, ses classifications à la place de celles du Code ; il substitue à la marche suivie par le législateur une marche différente qui peut bien être plus simple, plus logique, meilleure enfin, mais qui, par cela seul qu'elle n'est pas celle de la loi, présente deux graves inconvénients. Le premier consiste en ce que souvent on saisira mal le sens d'un article dont on aurait parfaitement compris la pensée, si l'on avait examiné la place qu'il occupe, l'ordre et la liaison des autres articles au milieu desquels il se trouve et la suite d'idées par laquelle le rédacteur est arrivé à lui. Le second, c'est qu'après de longues études et quand on sera arrivé, je le suppose, à connaître très-bien les résultats divers de tous les articles du Code, on n'aura pas fait connaissance avec ces articles eux-mêmes.....

Dans la méthode exégétique au contraire, on suit le texte pas-à-pas ; on dissèque chacun des articles pour l'expliquer phrase par phrase, mot par mot ; on précise par ce qui précède et par ce qui suit le sens et la portée de chaque proposition, de chaque terme, et l'on en fait remarquer la justesse ou l'inexactitude, l'utilité ou l'insignifiance ; puis quand on a compris cet article en lui-même, on étudie son harmonie ou sa discordance avec les autres articles qui s'y réfèrent, on en déduit les conséquences, on en signale les lacunes. »

Demolombe. Cours de Code Napoléon, préface, p. VII.

« L'un et autre procédé a comme toute chose ses inconvénients

Primò dici potest personarum classem ad jura illa et obligationes pertinere, ex quibus potestas quædam nascitur; rerum verò vocabulo omnia vincula contineri, quibus vel res nobis obstricta est, vel persona ad aliquid dandum aut faciendum obligatur; actionum verò nomine ea jura designari, per quæ quod sibi debeatur judicio quis persequatur (1). Justinianeam divisionem si hoc modo definieris, fatendum est non jàm à facto, sed à jure descendere. Prætereà quidam veriti sunt (2), ne, si præter Justinianeam alia quoque methodus memoriæ imprimi deberet, hoc novo commento labor in duplum cresceret; quibus Leibnitius respondit : « Naturalem methodum discere non labor est. » Denique id maxime Justinianeæ methodo auxilio fuit quod nulla adhuc alia reperta est quæ vitiis omninò careret. Quàpropter multi prudentes (3), quamvis eam nullo modo optimam esse con-

---

et ses avantages, et si, par exemple, l'exégèse suivant le texte pas à pas peut se flatter de découvrir ainsi plus facilement la pensée du législateur, ne peut-on pas en revanche lui reprocher, sinon d'empêcher absolument, du moins de favoriser très-peu par ses allures saccadées et décousues cet esprit de méthode et de généralisation, cet ordre et cet arrangement systématique qui constituent la science et qui en rendent l'initiation plus puissante et plus efficace? »

Confer *Oudot*. Premiers essais de philosophie du droit et d'enseignement méthodique des lois françaises.

(1) Vide *J. B. Bon* præfationem, p. 17.

(2) Ut *Antonius Matthæus* in collegio fundamentorum juris.

(3) *Demangeat*. Cours élémentaire de droit Romain, I, p. 144. « Cette classification, qui des Institutes de Gaius a passé dans celles de Justinien, a été souvent critiquée. On lui a reproché de n'avoir rien de philosophique. Il est certain qu'il n'est pas possible de parler des personnes sans parler des choses, et réciproquement quant aux actions, elles sont toujours exercées par une personne et contre une personne, le plus souvent à propos d'une

tendant, tamen sequuntur. Institutionum enim methodum improbare facilius est quàm meliorem prodere : Leibnitius ipse exemplo erit.

Illa nempe methodus, quam ex ipsis rerum definitionibus eruisse dicit, nonnullis quoque exprobrationibus ansam dare videtur.

Cùm suam partitionem ex jurium et obligationum naturâ deducere velit, inprimis justi et injusti fundamentum, jurium et obligationum *subjectum, objectum* et *causam* inquirit.

« *Jurisprudentia* est scientia actionum quatenus justæ et injustæ sunt (1) ; *justum* autem atque *injustum* est quidquid

---

chose. Les trois branches de la classification ne se distinguent donc pas bien nettement l'une de l'autre, puisqu'un traité complet des personnes implique l'exposition des règles relatives aux choses et des règles relatives aux actions, etc. Je compte pourtant suivre en général l'ordre des Institutes de Gaius et de Justinien. Si cet ordre est défectueux, je n'en ai encore trouvé aucun qui lui soit bien réellement préférable. Parmi les systèmes proposés et préconisés jusqu'à présent, à ma connaissance il n'en est aucun d'assez parfait pour permettre au professeur qui enseigne une certaine matière de n'avoir jamais à empiéter sur les matières comprises dans d'autres chapitres. Bref la meilleure de ces classifications généralement suivies en Allemagne, souvent fort dissemblables entre elles et par conséquent toujours plus ou moins arbitraires, me paraît avoir pour résultat le moins contestable de rendre un peu plus difficile aux jeunes gens l'étude du droit Romain. »

Confer *Ortolan*, Explication historique des Instituts, II, p. 12.
Hugo, Civilistiches Magazin, B. 4, 5 et 6.
Zachariæ, Handbuch des Franzosischen Civilrechts.

(1) Nouveaux Essais, IV, 21.

« La jurisprudence a pour objet le gouvernement et les lois dont le but est la félicité des hommes autant qu'on y peut contribuer par l'extérieur et le sensible, mais elle ne regarde principalement que ce qui dépend de la nature de l'esprit et n'entre point fort avant dans le détail des choses corporelles dont elle suppose la nature pour les employer comme des moyens. »

publicè utile ac damnosum est, *publicè* id est primùm mundo seu ejus rectori Deo, deindè generi humano, denique reipublicæ, hâc subordinatione ut in casu pugnantiæ voluntas seu utilitas Dei, si ità loqui licet, præferatur utilitati generis humani, et hæc utilitati reipublicæ, et hæc propriæ. Hinc jurisprudentia *divina, humana, civilis* (1). De propriâ autem utilitate agere, non *jurisprudentiæ,* sed *politicæ* est. »

« *Moralitas* autem seu justitia vel injustitia actionis oritur ex qualitate personæ agentis in ordine ad actionem, ex actionibus præcedentibus orta quæ dicitur *qualitas moralis*. Ut autem qualitas realis in ordine ad actionem duplex est : potentia agendi et necessitas agendi, ità potentia moralis dicitur *jus,* necessitas moralis dicitur *obligatio*. »

« *Subjectum qualitatis moralis* est *persona* et *res*. » In quo Leibnitius paululum errasse mihi videtur. Nempe, ut ejus verbis utar, subjectum juris vel obligationis nihil aliud esse potest quàm *substantia rationalis,* videlicet persona, non res. Etenim quoties res quædam aliquid juris penès se habere videntur, jus non rerum ipsarum, sed earum dominorum est. Non igitur omninò verum est in omni jure reali rem obligationis sujectum esse (2).

Persona verò vel *naturalis* est, sicut Deus, angelus, homo, vel *civilis,* verbi gratiâ collegium. « Sed Deus est subjectum juris summi in omnia, nullius verò obligationis. » Quæ quidem

---

(1) Ibidem, II, 28, § 7.

« *Philalèthe.* Il y a trois sortes de lois : la loi divine, la loi civile et la loi d'opinion ou de réputation. La première est la règle des péchés ou des devoirs ; la seconde des actions criminelles, ou innocentes ; la troisième des vertus ou des vices.

Théophile. La loi divine est de deux sortes, naturelle et positive. La loi civile est positive. La loi de réputation ne mérite le nom de loi qu'improprement ou est comprise sous la loi naturelle. »

(2) *J. B. Bon* præfatio, N. 13.

sententia non admodùm admittenda est, si jus naturale ex Dei arbitrio pendere significet.

« Ad subjectum pertinet tota *successionum* materia, quia successio est motus juris vel obligationis de subjecto in subjectum. »

« *Objectum juris et obligationis,* est *corpus subjecti, res, persona tertii.* Jus *in corpus* meum tanquam subjecti dicitur *libertas.* Jus *in rem* dicitur *facultas* et habet species : dominium directum in rei materiam, utile seu jus utendi fruendi in formam, jus servitutis in partes formæ seu qualitates, jus detinendi, usucapiendi conditionem et alia jura realia (2). Jus *in personam* dicitur *potestas,* et multis modis variat, interdum vitæ et necis, interdum castigationis, interdum increpationis etc. *Obligatio* est, ne alterius libertas, facultas potestasve impediatur : quæ impeditio dicitur injuria. » « *Causa qualitatis moralis* est *natura* vel *actio. Natura* est causa libertatis et facultatis et correspondentis in alio obligationis de non impediendo. *Actio* est causa potestatis in personâ agente ad aliquid faciendum vel in seipsà aut rebus suis patiendum ; estque vel *possessio* vel *injuria* vel *conventio.* »

Ne plura, Leibnitius in tot partes quot existunt jurium et obligationum causæ, jurisprudentiam dividit ; quæ causæ hæ sunt : *Natura, possessio, injuria, conventio ;* his *successionem* adjicit, quæ novum jus non producit, sed vetus transfert.

Natura libertatis et facultatis origo est. *Possessio* jus in rem nullius, animo in posterum possidendi, tribuit. *Injuria* fons est delictorum et quasi delictorum. *Conventio* verò, si Leibnitio credendum est, non modò pacta et promissiones, sed

---

(2) Hæc quidem idem *Bon* in præfatione haud ineptè reprehendit.

quidquid ex lege descendit, veluti pænarum jus et publica jura necnon litium formas continet. « Promisit enim quilibet subditus reipublicæ se decreta ejus vel universalia ut leges vel singularia, ut sententias, rata habiturum. »

Hi sunt omnes acquirendi juris modi, simul et amittendi ; nam simul ac jus quoddam ab uno acquiritur, ab alio amittitur.

His explanatis, Leibnitius valdè gloriatur, « Ità igitur arbitror, inquit, summa juris capita ex meri juris evidentissimis principiis à me satis digesta esse. Neque enim alia juris obligationisque causa aut contrarium seu destructivum reperiri potest quod in his non contineatur. »

Qui quùm ità superbiat, videndum tandem nobis est an tantæ superbiæ locussit. Justinianeæ quidem methodo hoc præsertim noster objicit, quod tria ejus membra quodam modo inter se confunduntur. Leibnitiana verò nonne eidem vitio obnoxia est ?

Primò enim omnia quæcumque jura, ex quibus jurisprudentia constat, nunquàm purè, saltem in bene constitutâ republicâ, ex natura oriuntur ; lex enim ea sanciendo sua, ut ità dicam, efficit ; imo nullum est jus ex omnibus quæ lege consecrantur quod non aliquo modo à naturâ originem sumat ; ea legumlator non è nihilo creat, tamtummodô definit, confirmat atque, ut hoc verbum usurpem, circumcludit. Natura igitur acquirendi juris modus specialis nuncupari nequit, quippequæ omnis juris generale principium atque fons esse videatur.

Ceterùm, si quiquid ex lege descendit, quia in pacto sociali nititur, conventionis nomine comprehenditur, tùm successio possessioque necnon injuria eodem nomine quoque comprehendi debent. Nempe ea quodam modo ex lege descendere nemini dubium est. Prætereà quænam sunt quæ per injuriam lædi possunt ? Nimirùm ea jura quæ à naturâ, à possessione, à conventione proficiscuntur. Ergò non est cur singularis ac distinctus locus injuriæ tribuatur, cùm omnia hæc inter se mis-

ceantur. Ità ambitiosa illa Leibnitii divisio omnis tollitur atque evanescit.

Concedam equidem huic divisioni quidquam philosophici non omninò deesse. Etenim à jure sumitur, non à facto, universasque juris acquirendi causas exactissimè recenset. Verùm solida juris partitio num ab obligationum et jurium *origine* sumenda est? Quæ ad originem spectant indagare vestrâ plurimum interest qui philosophi estis quique rerum causas perspicere ante omnia in animo habetis. Hujus verò modi quæstiones, quamvis magni ponderis sint, nequaquàm ad jurisprudentiam ordinandam proficiunt. « Sæpè enim contingere potest ut jura quæ eamdem originem et causam habent multùm sint inter se dissimilia, ut proindè in diversas classes tribui debeant, aut ut debeant conjungi quæ diversam originem habent, quia alia multa similia et communia habere possunt. Hinc fit ut partitio Leibnitii quanquàm ex causis jurium et obligationum derivata parum tamen commoda videri debeat, quia per eam multa dividerentur quæ ob quamdam communionem quam inter se habent mutuam sibi lucem afferre possunt et multa dissimilia conjungerentur. Ità, exempli gratiâ, modi acquirendi dominia rerum debent conjungi in jurisprudentiâ tradendâ : cùm tamen alii à jure gentium vel à naturâ proficiscantur, alii à lege, juxtà Leibnitii methodum separari deberent (1). »

In partitione autem jurisprudentiæ hoc maximè, pæne dicam unicè requiritur ut quàm commodissima sit, ut dissimilia segreget, quæ verò paria aut vicina esse videantur in unum diligentissimè colligat Cujusque igitur juris intima, ut ità dicam, natura magis inspicienda est quàm origo. Quæ quidem methodus et ipsa philosophica dici potest. Quàpropter eam divisionem

---

(1) *J. B. Bon* præfatio, N. 11.

quæ apud Germanos prævalere videtur quæque primùm *rerum*, dein *obligationum*, posteà *familiæ*, denique *successionum* jura (1) recognoscit, veluti ex ipsis naturæ penetralibus extractam antepono, si modò de novo quodam jure agatur. Namque si Justinianea jurisprudentia interpretanda sit, ipsius methodum sequi tutius existimo.

Antequam de hâc Leibnitii partitione taceam, necesse habeo quædam adhuc de successione adjicere.

« Succedunt autem ab intestato, ait Leibnitius, mero jure soli descendentes in stirpes, sed ità in ea tantùm bona quæ parentis erant, cùm nascerentur, quia anima eorum per traducem ex animâ parentis orta est : ceterorum successio ab intestato pertinet ad fontem pactorum, quia ex lege descendit. Testamenta verò mero jure nullius essent momenti, nisi anima esset immortalis. Sed quia mortui reverâ adhuc vivunt, ideò manent domini rerum ; quos verò heredes reliquerunt concipiendi sunt ut procuratores in rem suam. »

Hæc quidem opinio à Leibnitii interpretibus vehementer oppugnata est. « Quamobrem quoque, ait *Wolfius* (2), non dubito Leibnitium ætate maturiori minimè probasse rationem quam

---

(1) *F. C. von Savigny*. System des heutigen Romischen Rechts, I, § 58.

« Aus diesen Betrachtungen ergiebt sich folgende Anordnung der Rechtsinstitute, die ich als die einfachste und zweckmassigste meiner Darstellung zum Grund legen werde :

Sachenrecht,
Obligationenrecht,
Familienrecht,
Erbrecht.

...... Die hier versuchte Zusammenstellung der Rechtsinstitute ist gegründet auf das innerste Wesen derselben, namlich auf ihren organischen Zusammenhang mit dem Wesen des Menschen selbst, welchem sie inhariren. »

(2) Apud *Dutens*, IV 3°, p. 161.

reddit part. II, § 19. Novæ Methodi cur et quatenus testamenta sint juris naturalis, quippe quæ magis ingeniosa quàm solida est. »

Acrior etiam *Thomasius* esse videtur ; nam eam Leibnitii sententiam piam ac subtilem appellare audet et quæ magis apud dormitantes quàm apud expergefactos expromenda sit (1).

J. B. Bon in præfatione successionem testamentariam ex animâ immortali pendere ipse negat ; ceterùm utrùm testamenti faciendi jus naturale sit an è legis voluntate oriatur, sagacissimè quærit (2).

Quorum judicio non assentior. Nam si dominii jus libertati humanæ, tanquàm laboris fructum quemdam, inhærere fatearis,

---

(1) Dissert. Acad., t. II, p. 988, § 13.
Laferrière. Essai sur l'histoire du droit français, II, p. 180.
« Si Thomasius avait pénétré un peu plus avant dans le fond des choses, il n'aurait pas été si superbe dans son jugement. »

(2) « Testamentaria successio originem et causam habet in ipso jure gentium, videtur enim ea fuisse voluntas hominum communes res dividentium ut domino omnis utilitas concederetur ex re ipsâ, vel occasione rei proficiscens, quæ et ipsi domino prodesset et aliis non noceret ; jus verò de re suâ disponendi nec aliis nocet qui idem jus habituri sunt in re propriâ et utile domino est qui hâc ratione et filios in officio continet et de amicis bene meretur : nec illud objici potest per testamentum dominium transferri post domini mortem, eo videlicet tempore quo ille qui dominium transfert illud amplius non retinet, quod videtur contradictionem involvere : nam primò reapse dominium transferri potest ultimo vitæ momento, cujus incertitudo jure civili Romanorum spectato obstabat ne tunc temporis deferretur successio, at nullum hujusmodi afferre impedimentum videtur, si jus gentium solum spectetur ; secundò disponere de rebus nostris, dùm vivi sumus, ut dispositio post mortem vires incipiat habere, contrarium etiam erat regulis juris Romani, quamobrem necesse fuit fictionem induci ut primum momentum mortis vitæ tribueretur ; sed à principiis juris gentium neque illud videtur alienum. »

necesse est testamenti faciendi jus quoque agnoscas. Qui dominus est rem suam alienare quocumque modo, imò destruere potest. Donandi ergò jus habet; testamentum verò quid aliud est quàm mortis causâ donatio, retento usufructu ?

Atenim dominium cum domino extinguitur. Sed quid indè, si dominus, ut ità dicam, suæ ipsius morti supersit vel, ne exquisitiora dicam, si mortuus adhuc vivat extinctoque corpore animus, qui hominis substantia est, non unà extinguatur (1) ? Ità eorum argumenta convelluntur qui, hominem pretiosissimo atque carissimo domini munere spoliantes, omnia penès legum arbitrium esse jubent (2).

Hæc verò testamenti factio, quæ nobis naturale jus esse videtur, nullisne limitibus coercetur ? Haud ità est ac Leibnitii ipsius longè alia mens est ; quippe qui legis potestati quidquam concedat. Verùm quid de eâ re sentiat non satis apertè detegit ;

---

(1) *Troplong*. De la propriété d'après le Code civil, p. 35.
« Le testament est le triomphe de la volonté librement émanée d'une âme immortelle. »

(2) *Robespierre*. Histoire parlementaire de la Révolution, t. IX, p. 300.
« L'homme peut-il disposer de cette terre qu'il a cultivée, lorsqu'il est lui-même réduit en poussière ? »
Tronchet. Ibidem, p. 305.
« Si l'on considère l'homme dans l'état de nature, il est difficile de concevoir un véritable droit de propriété ; la propriété dans l'état de nature est moins un droit qu'un fait; elle est d'autant moins un droit qu'elle résulte de la force. Cette propriété précaire ou plutôt cette possession, n'étant que l'effet de l'occupation, cesse du moment que l'homme cesse d'occuper. Il n'y a donc pas de transmissibilité possible. L'individu qui vient après le premier occupant a le même droit qu'avait celui-ci de jouir de ce qu'il trouve vacant. C'est donc l'établissement seul de la société, ce sont les lois conventionnelles qui sont la véritable source du droit de propriété et de transmissibilité. »

imò de animo immortali, quantum ad successionem ab intestato spectat, si vera dicere necesse est, subtilius quàm sagacius disserit. Adjiciendum igitur nobis est successionem quidem ab intestato nihil aliud esse debere quàm defuncti testamentum lege præsumptum eoque modo factum quo probabiliter ab ipso defuncto factum fuisset ; testamentum verò certis conditionibus ac limitibus subjici. Nempè quamvis domini voluntas suâ re ad arbitrium abuti valeat, tamen patris officio minuitur atque cohibetur, qui quùm filios gignendo eos alere et conservare est pollicitus, tùm avita bona eâ tacitâ conditione recepit ut restituerentur (1). Quâpropter lex. quæ testamento irrito vel nulli supplet, inofficiosum rescindit.

Ad propositum, scilicet ad *juris elementa*, quæ ex *definitionibus* et *præceptis* constant, nunc tandem redeamus.

Definitiones quidem seu terminorum juridicorum explicationes Leibnitius libro includi vult qui *Partitiones juris* appelletur. In novo *juris corpore* quod exoptât tria requirit : ut *plenè, breviter, ordinatè* conscribatur.

Præceptorum verò seu regularum prætereà quùm *materiam*, tùm *formam* considerat.

Materiæ nomine ea tantùm complectitur quæ quid juris sit proposito aliquo facto decidunt; incerta verò, abrogata, manifesta, aliena omitti jubet.

« *Forma* præceptorum consistit tùm in dispositione titulorum, tùm subtitulorum. »

---

(1) Dig., L. 7 de bonis damnatorum.

« Cùm ratio naturalis, quasi lex quædam tacita, liberis parentum hereditatem addiceret, velut ad debitam successionem eos vocando, propter quod et in jure civili *suorum heredum* nomen eis indictum est, ac ne judicio quidem parentis nisi meritis de causis summoveri ab eâ successione possunt. »

Præceptorum tria genera esse Leibnitius dicit : nempè aut generalissima, aut intermedia, aut specialissima sunt. De generalissimis, sive *brocardicis,* maximè indignatur quod quædam admittuntur quæ exceptionem patiantur (1). « Officium enim regulæ tranquillare animum, ut certus sit in omnibus speciebus subjecti prædicatum obtinere. Quod si regulæ habent exceptiones, frustraneæ sunt, quia fidi illis non potest. » Atenim nulla regula est sine exceptione. Una saltem, respondet Leibnitius, regula sine exceptione omnium consensu versatur, videlicet ea quæ nullam regulam sine exceptione versari contendit. Ergò sibimetipsi hæc regula consentanea non est.

Id quidem magis ingeniosum quàm omninò exactum est. Etenim regula hæc modò de casibus plerisque loquitur, necnon regulæ quædam utiles videntur et commoditatem nonnullam memoriæ afferunt, etsi plures exceptiones recipiant et tantummodò plerumque, non semper veræ maneant. Attamen haud immeritò Leibnitius in animo habebat omnia quantum licet ad *universalitatem* redigere, cetera tanquàm inepta rejicere, ut denique inutiles repetitiones et grandes libri coacervari desinerent.

Hîc exemplum quoddam Leibnitius affert quod sibi sanè innocuum esse videbatur, nobis verò maximè invisum est. Nempè ita loquitur : « In materiâ torturæ hanc mihi generalem regulam

---

(1) Nouveaux Essais, IV, 7, § 11.

« Au lieu d'établir des axiômes généraux on fait tout ce qu'on peut pour les affaiblir par des distinctions vaines et peu entendues, et l'on se plaît à employer certaines règles philosophiques dont il y a de grands livres tout pleins, mais qui sont peu sûres et peu déterminées et qu'on a le plaisir d'éluder en les distinguant..... Il est vrai qu'il y a des règles qui ont des exceptions, surtout dans les questions où il entre beaucoup de circonstances, comme dans la jurisprudence. »

concipio: Omnis et solus qui condemnaretur rebus sic stantibus, si causa esset civilis, ille in causâ criminali est torquendus, quia in causâ criminali nemo condemnatur nisi confessus. Ad confessionem igitur cogendus est qui criminis convictus est. Undè ille etiam torqueri debet qui exceptionem suam probare non potest. » Hæc quàm crudelia ac pænè portentosa sint, nostrûm neminem fallit. Quomodò igitur fieri potest ut hominum lenissimus et quidem philosophus tàm sæviter locutus sit? Istorum temporum mores accusa, quos Leibnitius corrigere debuisset, non autem semper ipse exuere valuit (1).

Denique ad subtitulos veniens, hos esse dicit: scilicet *formam* seu *definitionem*, *subjectum*, *causam*, *effectum*, *contrarium* seu *destructivum*.

« Non ignoro, inquit, variè à variis hæc assignari, sed si accuratius dispexeris, omnia ad hæc reducuntur. »

Hæc quidem de jurisprudentiâ didacticâ seu juris elementis, quæ, si Leibnitio credis, non modò jurisconsultos, sed et theologos medicosque scire decet.

CAPUT II

DE JURISPRUDENTIA HISTORICA

Jurisprudentiæ quidem *historicæ* magna quædam divisio extat, nunc apud omnes pervulgata : nempe juris historia vel *interna* vel *externa* est.

---

(1) Non omnium tamen ætatis suæ errorum particeps fuit. Nam opus, cui nomen erat. *Cautio criminalis circa processus contrà sagas*, valdè comprobavit, quippe qui sagarum supplicia detestaretur.

Interna ipsam jurisprudentiæ substantiam ingreditur, variarum rerumpublicarum jura recenset. Externa adminiculum tantùm est, sed ad jurisprudentiam necessarium. Illa ipsius juris, hæc juris fontium mutationes describit. Quâ partitione cùm omnes utantur, non omnes sciunt eam à Leibnitio inventam atque proditam fuisse (1).

Utrumque genus diligenter noster separat ; non verò planè ac semper dividi jubet. Contrà sororio, ut ita dicam, consortio jus atque historiam conjungit. *Historiam* enim *Romanam* ad intelligendum jus civile, *ecclesiasticam* ad intelligendum jus canonicum, *medii ævi* ad intelligendum jus feudale, *nostrorum temporum* ad intelligendum jus publicum requirit.

Historiæ quidem Romanæ quatuor periodi sunt. Prima ad rempublicam liberam pertinet. « Illo tempore, ait Leibnitius, jurisprudentia Romana nihil à naturali recesserat, quia nondum

---

(1) *Ch. Demangeat.* Cours élémentaire de droit Romain, I, p. 18. « L'histoire du droit en général, du droit Romain en particulier. peut être envisagée à deux points de vue. On distingue en effet l'*histoire externe* et l'*histoire interne*. L'histoire externe est l'histoire des sources du droit Romain : elle nous montre ce qu'il fallait aux différentes époques, pour que telle ou telle prescription pût devenir une règle de droit, une règle obligatoire et pourvue d'une sanction positive : fallait-il une loi, et qu'est-ce qu'une loi ?... Au contraire l'histoire interne, c'est l'histoire des différentes institutions dont l'ensemble constitue le droit Romain : par exemple on fait de l'histoire interne, quand on recherche comment la puissance paternelle était organisée à l'origine et ce qu'elle est devenue par la suite. »

Adde : *Hugo*, Lehrbuch der Geschichte des romischem Rechts. *Puchta*. Cursus der Institutionen, t. I, § 34.

Ch. Giraud, Instroduction historique aux éléments de droit Romain d'Heineccius. p. 14 et 15.

V. Molinier, Notice sur les œuvres juridiques de Leibniz, Revue critique de législation, mai 1859.

ad libidinem dominantium leges inflectebantur. » Verum quidem est imperatorum libidinem tunc pro lege non fuisse ; falsum verò eorum durissimorum temporum jurisprudentiam quidquam cum naturali commune habuisse. Secunda ab Augusto incipit usque ad Constantinum ; paganorum imperatorum regna complectitur. « Sub imperatoribus autem jura Romana multùm à priscâ simplicitate recesserunt. » Cui quidem opinioni haud infitias ibo, si de civitatis libertate agatur ; jus verò civile nemo negare potest quin tunc ad summum perfectionis gradum et, ut ita dicam, ad auream ætatem pervenerit. Tertia à Constantino magno proficiscitur et usque ad Justinianum patet. Quarta denique sequentia Græciæ tempora comprehendit.

Quæ quidem *Gibbonis* partitione (1) mihi melior esse videtur, qui jurisprudentiæ, ut ita dicam, Romanæ pueritiam usque ad leges XII Tabularum, adolescentiam usque ad Ciceronem, maturitatem usque ad Alexandrum Severum, senectutem usque ad Justinianum producit. Nam quæ ab Augusto Constantinoque in republicâ mutationes effectæ sunt distinctas quasdam historiæ Romanæ periodos melius designant.

---

(1) *Gibbon's* History of the decline and fall of the roman empire. *Ortolan*. Explication historique des Instituts. t. I, p. 393.

« Cette division a été adoptée notamment par *M. Mackeldey* dans l'introduction historique de son Manuel, par *M. Giraud* dans son introduction à l'étude du droit Romain, par *M. Warnkœnig* dans son Histoire du droit Romain, par *M. Blondeau* dans le tableau chronologique qui termine la traduction des Instituts. *M. Holtius* marque sa première période depuis l'origine de Rome jusqu'à la préture urbaine, la seconde depuis la préture urbaine jusqu'à Auguste, la troisième depuis Auguste jusqu'à Constantin. *M. Marezoll* dans son Histoire des sources du droit Romain établit quatre périodes : la première depuis les temps anciens jusqu'à la loi des XII Tables ; la seconde depuis les XII Tables jusqu'à l'Empire, la troisième depuis l'établissement de l'Empire jusqu'à Constantin ; la quatrième depuis Constantin jusqu'à Justinien. »

Historia ecclesiastica sequitur quæ vel *totalis* vel *partialis* est. Partialis est rituum, martyrum, patrum, dogmatum, conciliorum, hæresium, regiminis (seu hierarchiæ), pontificum, ordinum ecclesiasticorum. Equidem ditissimum librorum à Leibnitio exproditum qui ad hanc materiam spectant catalogum prætermitto. Non verò possum quin ejus simul et pietatem et, ut nunc dicunt, tolerantiam magnopère laudem, quæ quamvis nihil contrarii habeant, non semper tamen in uno conjunguntur. Etenim quanti religio in republicâ tractandâ æstimanda sit intelligit; verùm crudelia atque insulsissima sectarum odia respuit; suadet ut cujusque religionis scripta legantur ; imò *historiam irenicam* exoptat, ut jurisconsultus « desinat in alios ob qualemcumque opinionis vel cærimoniarum dissensum fulminare. »

De historiâ *medii ævi* atque *hodiernâ* nihil dicendum habeo, nisi quòd librorum citatorum multitudo miram et, si Leibnitii ætatem respicias, omninò inauditam eruditionem demonstrat. Inter quos, Grotii et Thuani nostri nomina reperio, quorum hunc Livium nostri ævi, illum Tacitum nostri sæculi appellat.

Præcipit ut « in colligendis scriptis publicis variâ occasione prodeuntibus » quàm maxima opera detur ; quod præceptum ipse in *Codice diplomatico* est secutus. In ejusmodi operibus hanc quasi regulam statuit : ut nihil superflui admittatur, nihil necessarii omittatur. Quod Leibnitianæ in ordinandâ jurisprudentiâ methodi fundamentum nuncupari potest.

CAPUT III

DE JURISPRUDENTIA EXEGETICA

Jurisprudentiæ quidem exegeticæ duo genera sunt : unum quod ex variis textibus, non textuum ordine, sed aliquo alio colligitur; alterum quod ad ipsos textus accommodatur.

Indè duæ partes : primùm *philologia ac philosophia juris*, quæ tanquam interpretationis vestibulum est ; dein ipsa *legum interpretatio*.

Philologia juris in disciplinarum ceterarum ad jurisprudentiam applicatione consistit, necnon grammaticam legalem, rhetoricam, didacticam, historiam, ethicam et politicam, logicam et metaphysicam, denique physicam continet. Quibus si diutius immorarer, plurimum tædium forsan lectori, ullâ sine utilitate, afferrem. Multa profectò feliciter excogitata hîc reperio, verbi gratiâ nonnullas de antinomiarum solutione ingeniosissimas sententias. Quid quòd de Triboniani erroribus, de Justiniani garrulitate eruditissimè ac sagacissimè disserit? Verùm hæc nullum alium quàm jurisperitum delectare possunt.

Sequitur *legum interpretatio*, quæ vel *simultanea* vel *solitaria* est.

Simultanea plures leges complectitur; necnon vel per *legum seriem* vel per *summam* vel per *paratitla* conficitur. Exempli *summæ* gratiâ, hîc Leibnitius, universalia abstrahendo, nonnullos legum Romanarum titulos contrahit (1).

---

(1) Dig., lib. 3, tit. 3, de procuratoribus.
Cod., lib. 6, tit. 50, de caducis tollendis.
Novella III, de monachis.

Solitaria ad unum ipsum textum pertinet. Quæ vel realis est, si certas propositiones ex lege elicit atque detegit; vel textualis, si ad legis verba strictissimè se accommodat.

« *Interpretatio per linguam quamlibet* sive eamdem, sive diversam, vel sensum explicat et dicitur *paraphrasis ;* vel artes dicendi ad verba applicat, et dicitur *analysis.* »

Verùm mihi non necesse est in illis tàm multis tamque tenuibus quùm partitionibus, tùm partitionum partitionibus Leibnitium sequar. Quæ quidem divisiones in eo libro qui ad jurisprudentiæ methodum spectet non parvi momenti sunt et opportunissimè versantur; non cæ tamen sunt quibus profanorum, ut ità dicam, animus vehementer commoveatur.

CAPUT IV

DE JURISPRUDENTIA POLEMICA

Jurisprudentia polemica ità infinita Leibnitio esse videtur ut exhauriri nequeat; novi enim quotidiè casus emergunt. Universos autem seu præteritos, seu futuros cùm jurisconsulto animo complecti non liceat, oportet jàm ventilatos colligat et decidat; novos verò juris naturalis ope resolvet.

Primò de *principiis decidendi,* dein de *collectione decisionum* dicemus.

« *Principia decidendi* sunt *ratio ex jure naturæ* et *similitudo ex jure civili certo.* Nàm si accuratè rem consideremus, omne jus civile magis facti est quàm juris, quia probandum est non ex naturâ rerum, sed ex historiâ seu facto. Probandum enim est legem esse promulgatam, consuetudinem introductam ;

deinde probandum etiam est qui legem tulit ejus rei potestatem facto et pacto sibi acquisivisse. Undè patet legem ex conventione populi valere. Cùmque certi juris sit in iis ubi pactum non intercessit obtinere jus merum, patet in iis casibus de quibus lex se non declaravit, secundùm jus naturæ esse judicandum, quemadmodum in casu cessantium statutorum judicatur secundum jus commune. Si observarent hoc decisionarii, facilius se extricarent ; verùm illi ad similes potius materias jure civili decisas respiciunt et ex illis ad has argumentantur, quæ res illis magnam perplexitatem parit ; sunt enim plures uni similes et unus ad hanc, alius ad aliam similitudinem confugit. Ideò tutius arbitror referre se ad merum immutabileque jus naturæ. »

Juris naturæ præcepta quæ sint Leibnitius quærit. Si Ulpiano (1) et Justiniano (2) credis, hæc sunt : « honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere. » Quæ tria omne naturale jus continere Leibnitio videntur ; nempè juris hujus tres gradus esse existimat : videlicet *jus strictum, æquitatem, pietatem* (3).

Jus strictum nihil aliud est quàm jus belli ac pacis. « Nam inter personam et personam tamdiu est jus pacis quamdiu alter non incepit bellum seu læsit. Inter personam autem et rem, quia res non est intelligens, perpetuum est jus belli.... Ex quo patet juris naturæ meri unicum præceptum esse : neminem lædere, ne detur ei jus belli. »

Æquitas « requirit ut in eum qui me læsit non bellum internecinum instituam, sed ad restitutionem, arbitros admitti, quod tibi nolis alteri non faciendum ; item ut puniatur non tàm im-

---

(1) Dig., L. 10, § 1 de justitiâ et jure.

(2) Inst., lib. I, tit. I, § 3.

(3) In dissertatione Codici juris gentium diplomatico præfixâ eodem modo justitiam dividit eamque in tres gradus partitur ; namque aut *commutativa* aut *distributiva* aut *universalis* est.

prudentia quàm dolus et malitia ; item ut infirmentur contractus subtiles et circumventis subveniatur. De cetero jus strictum observari ipsa æquitas jubet. » Hæc omnia illo præcepto continentur : suum cuique tribuere.

« Tertium juris principium est voluntas superioris (1). Et hùc quæ Trasymachus apud Platonem suprà dicebat : justum esse potentiori utile. Superior autem est vel naturâ Deus ; ejusque voluntas iterùm est vel naturalis, hinc pietas, vel lex, hinc jus divinum positivum ; vel superior est pacto, ut homo, hinc jus civile.

Pietas igitur tertius est gradus juris naturæ tribuitque ceteris perfectionem et effectum. Nàm Deus, quia omniscius et sapiens est, jus merum et æquitatem confirmat ; quia omnipotens, exequitur. Hinc coincidit utilitas generis humani, imò decor et harmonia mundi, cum voluntate divinâ.... Cumque jus strictum et æquitas careat vinculo physico, Deus accedens efficit, ut quidquid publicè, id est generi humano et mundo utile est, idem fiat etiam utile singulis, atque ità omne honestum sit utile et omne turpe damnosum, quia Deum justis præmia, injustis pœnas destinâsse ex ejus sapientiâ constat, et quæ destinavit perfecturum omnipotentiæ ratio evincit. Existentia igitur Entis alicujus sapientissimi et potentissimi, seu Dei est juris naturæ fundamentum ultimum ; à quœ nobis mathematicâ certitudine demonstrata, cùm prodibit in publicum, disjectura est penitùs nebulas ab atheis veritati offusas. »

---

(1) *P. Janet.* Histoire de la philosophie morale et politique, II, p. 276.

« Dans cette première esquisse de ses idées, Leibniz ne paraît pas encore soupçonner la question que nous l'avons vu discuter avec tant de force contre Puffendorf, celle de savoir si Dieu est l'auteur du droit par sa volonté ou par sa nature. Il semble même ici donner raison à la doctrine de Hobbes. »

Ut ex eo loco apparet, juris naturalis nomine quidquid ad conscientiam pertinet necnon et omnem officiorum scientiam Leibnitius intelligit (1). Id verò jus magis dividit quàm definit. Hæc autem partitio et ingeniosa et rerum naturæ congrua esse mihi videtur ; idèo multò tribus illis Ulpiani regulis præstat quas explicando magis confirmat quâm ab iis confirmatur.

Veniamus nunc ad *similitudinem ex jure certo*. Nempe quamvis jus naturale Leibnitius præcipuè commendet, confugiendum tamen nonnunquàm ad alias leges similes confitetur. Similes verò casus considerandos esse tum solùm existimat, quandò aut lex id expressit aut eadem legislatio subest. In quo casuum similitudini nimium diffidere mihi videtur. Etenim, ut *J. B. Bon* verba usurpem, « ego in hâc re ita sentio quòd si agatur de lege latâ contrâ jus commune, nullam esse exceptionem admittendam, ne quidem si eadem vigeret ratio ; nàm cessante lege expressâ se offert jus commune cui cùm non constet derogatum, nulla ratio afferri potest cur servari non debeat ; quandò verò non agatur de lege contrà jus commune, in quâ nihil in-

---

(1) *Ulpianus*. Dig., L. 10 § 2, de justitiâ et jure.

« Jurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia. »

Th. Jouffroy. Cours de droit naturel, I, p. 19.

« En ne faisant attention, dans l'expression *droit naturel* qu'à l'épithète de *naturel* qui la termine, on a dû être conduit à entendre par cette expression et à lui faire désigner toutes les règles de la conduite humaine qui dérivent de la nature des choses et que par conséquent la raison peut atteindre, quelle que soit la relation à laquelle ces règles s'appliquent. De là l'acception la plus générale de cette expression, celle qui embrasse dans le droit naturel la religion naturelle, la morale personnelle, le droit réel et toutes les parties des droits et des devoirs de l'homme à l'égard de ses semblables. Mais si au contraire on fait particulièrement attention dans la même expression au mot *droit*, on pourra être conduit à deux autres acceptions très-différentes. »

ductum extraordinarii appareat, non video cur extensio admitti non debeat, ubi similis casus sit, etiamsi non constet de eâ causâ quæ legislatorem movit ad legem ferendam ; neque enim ratio alia tutior inveniri potest quàm si regulâ illâ utamur quâ usos et legislatores et jureconsultos constat : hoc autem in casu nec utimur solum similitudine casuum nec jure naturali dumtaxat, sed utriusque fit consociatio. » Quibus verbis nihil justius dici potest ; namque leges ad id præsertim inventæ sunt ut certis textibus, nec jàm dubiâ æquitatis luce, quæ non eadem in omnibus versatur, res humanæ regerentur. Antè igitur quàm ad jus naturale veniatur, quærendum est non modò quid lex dixerit, sed, si taceat, quid dixisset.

Ut verò rationis similitudo quæ inter varias leges versari possit cognoscatur, necesse est *nomothesia* inspiciatur, cujus principium reipublicæ utilitas est. « Consistit autem salus populi, suprema reipublicæ lex, in bono ipsorum civium tanquàm materiæ, et conservatione regiminis, tanquam formæ.... Bonum regiminis consistit in jure publico et tali ceterarum quoque legum formatione, ut mutatio præcaveatur. Bonum civium consistit in ἐυδαιμονίᾳ et ἀυταρχείᾳ, seu bonis animi et fortunæ, quanquam egestas homines non solùm ridiculos, ut ait poeta, sed et improbos facit. Ad ἐυδαιμονίαν seu virtutem pertinent omnes ordinationes politicæ, inprimis quibus educatio et conversatio tanquam principia malorum et bonorum morum formantur ; item præmia virtutibus, pœnæ vitiis. Ad ἀυταρχείαν pertinent leges de commerciis, manufacturis, sumptuariæ, etc. Ad utramque simul pertinent leges quæ jus privatum et judicia formant ; nam si cuilibet jus suum tribuitur, evitantur peccata retinentium et paupertas amittentium. Danda autem opera non solum ut cuilibet jus suum tribuatur, sed et citò. »

Hæc quidem satis habeo, si in publicum juridico cortice nudata prodam ; nempe quàm optima atque sagacissima sint neminem fugit.

Nunc res requirit ut quæ de *decisionum collectione* Leibnitius dicit breviter exponam. Tùm quomodò facta sit, tùm quomodò fieri debeat, perpendit. In his qui ejusmodi operibus invigilant hoc maximè laudat, « quod novos emergentes casus memoriæ consignant orbemque juridicum continuâ auctione locupletant, quod non faciunt auctores exercitationum et commentariorum, semper vetera ruminantes. » Inutilium verò in iis congestionem vituperat, necnon naturalem ordinem desiderat.

Deindè indicat quibus modis controversiarum repertoria colligenda sint, quæ juris loca communia quasi habeantur; præcipit ut à societate quâdam efficiantur, cujus participes laborem inter se distribuant non materiarum ratione, (quæ in academiis divisio merito fieri solet), sed librorum juris, ex quibus quædam excerpenda sunt, ne omnes libri à singulis pervolutandi sint. Quid conatuum communio et conjunctæ vires possint ostendit. « Hinc, ait, Romano — catholicis præclara edendi magna commoditas est; in libro enim qui unius hominis nomine prodit sæpe laborant tota monasteria. »

Ex his communibus juris locis ut Pandectæ fiant hortatur, necnon ut eæ in eodem libro atque Elementa et Breviarium controversiarum contineantur. « Talem Pandectarum librum, inquit, certus sum suprà duo volumina in folio non impleturum, quia in nulla disciplinâ et facultate plus librorum, minus rerum quàm in jurisprudentiâ est (1). »

---

(1) Nouveaux Essais, IV, 7, § 19.

« Je crois que la millième partie des livres des jurisconsultes nous suffirait, mais que nous n'aurions rien de trop en matière de médecine, si nous avions mille fois plus d'observations bien circonstanciées, puisque la jurisprudence est toute fondée en raison à l'égard de ce qui n'est pas expressément marqué par les lois ou par les coutumes. Car on le peut toujours tirer ou de la loi ou du

Hìc præcipuè Leibnitii adversùs rudem indigestamque multiloquorum librorum molem odium apparet. Bellum, ut ità dicam, verbosis medii ævi voluminibus indicit; omnia in primitivam simplicitatem restituere, omnia normæ, claritati, ordini subjicere in animo habet; operam quam maximam navat, ut loquacissimi tractatuum scriptores tandem silere cogantur. His perfectis pandectis, neminem tàm audacem jàm esse sperat qui, nihil novi scribendum habens, adhuc scribat.

Desideratorum librorum qui ad perficiendam jurisprudentiam desunt catalogum efficit; imò minuere ipse propriis laboribus pollicetur. Qui hic est :

Partitiones juris.
Sciagraphia juris in artem redigendi.
Novum juris corpus.
Elementa juris.
Reformatio brocardicorum.
Compendium Menochii et Mascardi de probationibus et præsumptionibus.
Theatrum legale.
Historia mutationum juris.
Historia irenica.
Philologia juris.
Philosophia juris.
Concordantiæ juridicæ.
Tropi, formulæ, adagia juris.
Arithmetica juris.
Antinomicus minor.
Institutiones juris universi.

---

droit naturel à défaut de la loi par le moyen de la raison et les lois de chaque pays sont finies ou déterminées ou peuvent le devenir. »

Institutiones juris Cæsarei.
Institutiones juris Saxonici.
Summa titulorum.
Leges numeratæ.
Versio legum Germanica.
Ars hermeneutica.
Juris naturalis elementa demonstrativè tradita.
Scientia nomothetica.
Breviarium controversiarum juridicarum.
Tractatus tractatuum reformatus.
Bibliotheca juris.
Loca classica, seu sedes materiarum.
Vitæ jurisconsultorum.
Repertorium juris.
Pandectæ juris novi.

Non tot et tantos libros Baconus quidem requirebat ; quippe qui hæc diceret : « At scientiam juris et practicam auxiliaribus libris ne nudanto, sed potius instruunto. Ii sex in genere sunto : Institutiones, de verborum significatione, de regulis juris, antiquitates legum, summæ, agendi formulæ (1). »

CAPUT V

DE JURISPRUDENTIA DOCENDA DISCENDAQUE

Generalibus his expositis, ad ea quæ tirocinii sunt Leibnitius decurrit ; quæ discipulis necessaria sint exponit quâque viâ

(1) De fontibus juris, LXXIX.

cundum sit ut ad jurisprudentiæ perfectæ adyta perveniant (1).

Hujus viæ tria *curricula* sunt : unum *elementare*, alterum *exegeticum*, tertium *polemicum*.

Antequàm hæc ingrediatur, noster hîc notat : « Cum certum tempus assignabimus, non exactè, sed circiter definiri ; hoc esse pro mediocribus ingeniis, neque enim tardos subsistere, neque celeres prævenire veto. » Prætcrea monet satis et plus satis esse, si quotidie sex horæ juri, quarum duæ cum præceptore, duæ ruminationi, reliquæ duæ lectioni volitanti, maximè historiæ, impendantur. Verùm à duodecimo anno usque ad decimum et octavum, ne cetera studia omittantur, suadet ut juri non plures quàm quatuor tribuantur.

Curriculum elementare historiam juris rudem, terminos usitatiores et præcepta elementaria continet, sexque mensium spatio eget. Quod ad præcepta attinet, vetera et abrogata omitti Leibnitius censet, ne tiro vetustatis difficultatibus et obscuritate obruatur. Cujus opinionis hanc eximiam rationem affert : « In discendo non semper natura rerum, sed commoditas spectanda est. » Ut præcepta facilius retineantur, dare operam præceptorem jubet « ut cuilibet placito juris, etiam arbitrario, rationem assignet aut congruentiam quamdam interdum ridiculam excogitet. » Quippe qui vel minima stratagemata non despiciat quibus mens adjuvari queat.

Curriculum exegeticum sex quoque mensibus absolvitur, necnon titulorum seriem, juris universi institutiones atque antinomias complectitur. Ne nunc quidem totos juris libros tironi legendos esse Leibnitius vult ; quos enim junior non planè adhuc intelligeret, quos contrà facilè, ubi controversias pernoverit,

---

(1) Nouveaux Essais, IV, 7, § 11.
« Les bonnes méthodes d'enseignement sont toutes telles que la science aurait pu être trouvée certainement par leur chemin. »

deprehendet. Abrogatorum verò studio nunc locum esse existimat; imò juris cultori jàm *collegiis disputatoriis* assuescere, curias etiam et judicia frequentare et *acta publica* evolvere permittit.

Curriculum polemicum (1) sibi annum deposcit qui breviario controversiarum dedatur. Hîc collegium quoddam intervenit quod à Leibnitio *disputatorium* et *practicum* (2) nominatur. Quippe quod ex XII alumnis quotidie XII quæstiones quasi causas orantibus constet, ità ut MMMDC quotannis recognoscantur. In ejusmodi controversiis non syllogistico, sed judiciario modo et ex tempore disputandum esse Leibnitius censet: die proximo, *actor reo* ac *præsidi* casum communicabit, die dicto causam orabit; reus respondebit; reciprocatione hâc bis factâ, præses sententiam concipiet.

Cujus methodi quæ quantaque sint commoda quis est qui non videat? Etenim ità tempus inutilibus declamationibus non teritur; omnia juris penetralia paulatim indagantur: publicè loqui discunt, imò sermonem continuare, multarum adversarii responsionum meminisse easque refellere, denique vim argumenti percipere et latentem errorem detegere. Nempe Leibnitius vanorum ac grandiloquorum vel verborum vel syllogismorum tanquàm odio permovetur. « Juvenes, inquit, in Academiis paulatim ad usum communis vitæ sunt præparandi. »

---

(1) Nouveaux Essais, IV, 7, § 11.

« L'art de disputer ou de combattre par raisons (où je comprends ici l'allégation des autorités et des exemples) est très-grand et très-important; mais par malheur il est fort mal réglé, et c'est aussi pour cela que souvent on ne conclut rien ou qu'on conclut mal. »

(2) Ibidem, IV, 16, § 5.

« Toute la forme des procédures en justice n'est autre chose en effet qu'une espèce de logique appliquée aux questions de droit. »

Hanc verò ad præparationem biennium tantummodò poscit; reliquum tempus lectioni liberæ, peregrinationibus et negotiis vitæ concedit.

Decurso hoc biennio, discipulum, ut ita dicam, manumittit et ejus liberis disputationibus, meditationibus, investigationibus mundum legum tradit. Operæ pretium est quibus verbis quoque pænè fatidico sermone juvenem tali methodo instructum alloquatur. « Hunc ego verum juris philosophum, inquit, hunc justitiæ sacerdotem, hunc juris gentium et quod ex eo pendet publici atque divini consultum dixero, cui possit committi respublica, quemque neque ineptæ status ratiunculæ ad novandum impellant, neque à promovendâ publicâ salute inanis juridicarum quarumdam spinarum metus deterreat (1). »

Perorationis modo, Leibnitius hæc adjicit: « Plura nunc non succurrunt et aliquid mihi servandum est; revelavi tamen plura quàm destinâram. Nullus prope paragraphus sine novâ vel inventione vel contemplatione abiit. Non gloriam, sed utilitatem quæsivi publicam; alioqui nomen præscripsissem. Si quid me effecisse videro, tentabo minuere propositum proximè catalogum desideratorum; sin minus, ego me invidiæ notâ absolvi. Contemptoribus satis supplicii ignorantia erit. Veniet fortasse aliud tempus dignius nostro quo debellatis odiis veritas triumphabit. Hoc mecum opta, lector, et vale. »

Minus superbè in præfatione dixerat: « Sicubi labimur, benevole lector, cogita quàm sæpe utilia suadeamus et compensa-

---

(1) *Ulpianus.* Dig., L. 1, § 1, de justitiâ et jure.

« Cujus meritò quis nos sacerdotes appellet, justitiam namque colimus, et boni et æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram, nisi fallor, philosophiam, non simulatam affectantes. »

tione factâ errorum obliviscere. Denique sic habe nos quæ facienda discendaque dicemus minimè gentium omnia ipsos fecisse vel didicisse ; absit hæc à nobis jactantia, quia etiam hæc à nobis rerum cognitio abfuit ; sed nos crede fungi vice cotis acutum reddere quæ solet, exsors ipsa secandi. Ità vale et nostra, sive placent, sequere ; sive displicent, perfice. »

CAPUT VI

DE CETERIS JURIDICIS LEIBNITII OPERIBUS

Non mihi, sicut jàm dixi, in proposito est alia juridica Leibnitii opera penitus scrutari atque perpendere. Non possum tamen quin eorum optima brevissimè ac summatim recognoscam, ut saltem quò tendant et quid sibi velint ex paucis verbis appareat, necnon ut quæ de jurisprudentiæ methodo senserit cum ejus ceterarum de jure doctrinarum corpore quodam vinculo connectantur.

Primùm quid de jurisprudentiâ Romanâ reputaverit exhibeamus. Eam quidem quasi antiquam legum omnium parentem veneratur, ac meritò. Nempè, ut de Germanis nihil dicam, apud quos Justinianeæ leges, sicut jus subsidiarium, adhuc vigent (1), juris nostri, ut ità dicam, flumen quamvis obiter plurimas aquas aliundè acceperit, Latino de fonte manat. Multa in Codicibus nostris versantur quæ, nisi Romanis legibus sedulò studueris, intelligere nequeas, seu res diuturno usu comprobatæ totæ supersint, seu paùlatim mutatæ atque adulteratæ,

(1). *Falck.* Juristiche Encyklopadie.

vestigium quoddam post se reliquerint. Cavendum igitur nobis est, ne puerili superbiâ delusi collectos tanto sudore fructus nequidquam disperdi patiamur. Illa enim recentium hominum cum veteribus quasi communitas, per quam tempora universa arctissimo fædere unà consociantur, ità nos patrum nostrorum scientiæ ac laboris participes efficit, ut antiquitatis inventionibus aucti atque ornati, eadem investigare jam non cogamur, nova autem adire valeamus.

Ut ad Leibnitium revertamur, jus Romanum non modò non dedignatur; sed etiam nescio au quisquam huic juri majora præconia unquàm tribuerit. « Romani, inquit (1), in omni genere doctrinæ Græcis cedunt. Ab iis philosophiam, medicinam, studia mathematica mutuò sumserunt, de suo vix quidquam magni momenti adjecerunt; in unâ jurisprudentiâ regnant; hujus etsi semina à Græcis acceperint, indè tamen hortum excitarunt amplissimum pulcherrimumque eâque in re unâ omnes populos quod constet vicerunt.

Excudant alii spirantia mollius æra,
Credo etiam, vivos ducant de marmore vultus;
Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hæ tibi erunt artes,

Dixi sæpius post scripta geometrarum nihil exstare quod vi ac subtilitate cum Romanorum jureconsultorum scriptis comparari possit: tantum nervi inest, tantum profunditatis. Et quemadmodum, remotis titulis et ceteris operis integri indiciis demontrationem lemmatis alicujus geometrici ex Euclide, aut Archimede, aut Apollonio ægrè discernas, et ad auctorem suum referas; adeò omnium idem stylus videtur, tanquàm ipsa recta ratio per horum virorum ora loqueretur, ità jurisconsulti etiàm

(1) Epistola XV ad Kestnerum.

Romani sibi gemelli sunt ut sublatis judiciis quibus sententiæ aut argumenta distinguuntur, distinguere stylum aut loquentem vix possis, nec uspiam juris naturalis præclarè exculti uberiora vestigia deprehendas. »

Quamvis verò Leibnitius leges Romanas magnoperè extollat, illum tamen earum nævi non fugiunt. Duas, ut ipse ait, virtutes cardinales in jure requirit : videlicet perspicuitatem atque brevitatem. Quare juri Romano (1) vehementer superfluitatem, defectum, obscuritatem, confusionem objicit. Superfluitas in abrogatis, defectus in antinomiis, obscuritas in styli et historiæ veterum ignoratione consistit. Confusio autem omnium maxima pestis esse videtur, ità ut huic obviam eundo ceteris quoque remedium afferatur. Quæ triplex est : scilicet operum, materiarum et legum. Legum confusioni, id est dispersioni et perturbationi, per logicam leges in eodem titulo disponendi methodum succurit. Materiarum confusionem ut evertat, novam divisionem proponit quæ ex novem partibus constet : hæ sunt 1° generalia juris et actionum, 2° personæ, 3° judicia, 4° jura realia, 5° contractus, 6° successiones, 7° crimina, 8° jus publicum, 9° jus sacrum. (2) Quod ad operum confusionem attinet, suadet ut quæ in Codicibus, Novellis, Institutionibus Digestisque continentur, uno opere concludantur, ità ut lex una, immota, clarior, simplicior evadat.

Non igitur is est qui leges in codicem redactas (3) respuat;

---

(1) Ratio corporis juris reconcinnandi.

(2) *Pothier* noster Justinianeam librorum ac titulorum in Pandectis partitionem non tangere ausus est ; sed in quoque titulo leges secundum ipsam rerum logicam sagacissimè distribuit.

(3) Vide *Bentham's* judiciary organisation aud codification.
Thibaut. Uber die Nothwendigkeit eines allgemeinen Bürgerliche Rechts für Deutschland.

imò patrias in unum colligere gestit. « Interea fateor, ait, optandum esse ut veterum legum corpus apud nos habeat vim non legis, sed rationis, et, ut Galli loquuntur, magni doctoris, et ex illis aliisque patrii etiam juris monumentis usuque præsenti, sed inprimis ex evidenti æquitate novus quidam Codex brevis, clarus, sufficiens, auctoritate publicâ concinnetur ; quo jus multitudine, obscuritate, imperfectione legum, varietate tribunalium, disceptationibus peritorum obtenebratum et ad miram incertitudinem redactum in clarâ tandem luce collocetur (1). »

Non verò solùm antiquis legibus noster studuit ; ad nova etiam respexit. Præclarum ejus studii speciem in *Codice juris gentium diplomatico* versatur. Hujus operis præfationem evolvamus, in quâ cum plurimâ solertiâ ac scientiâ de gentium jure atque historiâ disserit. Inprimis fœderum infirmitatem, eorum frequentiâ testatam, humanissimè queritur. « Ità fit ut pax cum prævalido hoste velut duorum gladiatorum respiratio sit atque interdum ne quidem pro induciis valeat. » Verùm, quamvis actorum publicorum tabulæ mortalium sapientiam, ut ità dicam, accusent, pars historiæ certissima sunt, quippe quæ rerum eventus contineant ; « laborat historiæ fides, nisi acta inspiciantur. » Quapropter iis Leibnitius invigilat. Non tamen ignorat sæpissimè maximas populorum perturbationes ex parvulis causis nasci. « Sæpe etiam unam noctem principis male dormientis et indè consilia acerba ex præsenti animi vel corporis habitu capta mox multa miserorum millia suo sanguine luerunt. » Ad tabulas actorum igi-

---

Savigny. Von Beruf unseres Zeit für Gesetzgebung und Rechtswissenschaften.

E. Portalis Essai sur l'utilité de la codification.

(1) Epistola XV ad Kestnerum.

tur veniendum est, quæ non minus curioso quàm negotioso lectori prosunt.

Posteà de ipso jure naturæ et gentium uberius disputans quid sint jus ac justitia quærit. « Est autem jus quædam potentia moralis et obligatio necessitas moralis. Moralem autem intelligo quæ apud virum bonum æquipollet naturali......Vir bonus autem est qui amat omnes quantùm ratio permittit. » Justitiam (1) igitur, quæ virtus est hujus affectûs rectrix, Leibnitius nescio quem jurisconsultum secutus, *benevolentiam* sive *caritatem sapientis* definit (2). Ne multa, specialis inter gentes juris fundamentum in naturæ jure ponit.

Notandum hîc est opus quod *de jure suprematûs ac legationis principum Germaniæ* edidit. In quo omnes nationes quæ Christianæ fidei morem gerunt quoddam sacrum imperium esse contendit, cui duo capita, scilicet summus pontifex ac Cæsar præesse videantur. « Itaque, ait, si jure agendum est, Cæsari in magnâ parte Europæ aliqua auctoritas et quasi primatus quidam, Ecclesiastico respondens, tribuendus est. »

Operæ præsertim pretium est *Monita quædam ad S. Puffendorfii principia* perlustrare. Hîc Leibnitius Puffendorfium penitus rejicit, tanquàm *virum parum jurisconsultum et minimè philosophum*, ejusque de naturali jure doctrinas iis qui solidam scientiam affectant placere non posse ait.

---

(1) Nouveaux Essais, III, 11.

« *Philalèthe*. Si quelqu'un dit que la justice est une conduite conforme à la loi à l'égard du bien d'autrui, cette idée n'est pas assez déterminée, quand on n'a aucune idée distincte de ce qu'on appelle loi.

Théophile. On pourrait dire ici que la loi est un précepte de la sagesse ou de la science de la félicité. »

(2) Confer *Ulpianum*. Dig., de justitiâ et jure L. 10 pr. « Justitia est constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. »

Puffendorfium primùm vehementissimè reprehendit, quod juris naturæ finem ac scientiam hujus vitæ ambitu includat atque animam immortalem quasi aspernetur. Quot et quantis demonstrationibus futura vita probetur, necnon quanti ad officia sancienda intersit copiosè ostendit. « Negligere hîc, inquit, futuræ vitæ curam quæ cum providentiâ divinâ inseparabiliter connexa est et contentum esse inferiore quodam juris naturæ gradu qui etiam apud atheum valere possit est scientiam pulcherrimâ suî parte mutilare et multa hujus quoque vitæ officia tollere. »

Itaque neque illud Leibnitius admittit quod Puffendorfius insinuat : quæ intrà pectus latitant nec foris prorumpunt ad theologiam, non ad jus naturæ pertinere. Hanc Leibnitii opinionem attento animo considerare opus est ; namque si eam extrà modum extendas, statim falsa evadit. Etenim quæ in intimis conscientiæ penetralibus aguntur nimirum leges humanas fugiunt ; neque puniri, neque coerceri queunt. Prætereà cum jure neque religio, neque ethica confundi debent ; ut ait Paulus, « non omne quod licet honestum est. » Id Leibnitium fallere non poterat, nec fefellit. Nempe nihil aliud quàm philosophiæ jura defendit ; internorum curam pènès theologiæ dominium totam esse, jus verò ad externas tantummodò actiones pertinere negat ; rectum rectique fontem juris naturalis scientiæ aut saltem philosophiæ vindicat (1). Ac meritò ; nàm si sine recti notione jus constituere coneris, nihil ages ; utilis hæc est scientia ut ejus præceptionibus nemo strictè obligetur. Fatendum tamen est ethicam atque jus non satis distinctè à Leibnitio separari (2).

Hactenus de *fine* et *objecto*. Deindè ad *causam efficientem*

---

(1) *Cicero*. De legibus, I, 5.
« Penitus est ex intimâ philosophiâ orienda juris disciplina. »

(2) *P. Janet*, opere suprà citato, p. 270, etc.

juris naturæ transit quam Puffendorfius non in rerum naturâ, sed in superioris decreto collocat. Quomodò definitio ista officium omne tollat noster sagacissimè detegit. « Ergòne contrà justitiam non faciet summâ potestate præditus qui tyrannicè in suos grassabitur, qui subditos pro libidine spoliabit, affliget, per tormenta necabit, qui bellum alteri sine causâ inferet ? » Atenim hæc pravitas nihil aliud quàm species est ; nam Deus omnium superior est. Hanc verò quasi excusationem non Leibnitius ratam habet ; Deo quasi tyranno parere recusat, neque illum tantùm ob magnitudinem timet, sed etiam ob bonitatem amat. « Neque ipsa, inquit, norma actionum aut natura justi à libero ejus decreto, sed ab æternis veritatibus divino intellectui objectis pendet ; quæ ipsæ, ut sic dicam, divinâ essentiâ constituuntur meritòque à theologis auctor reprehensus est, quandò contrarium defendit, credo quia pravas consequentias non perspexisset. Neque enim justitia essentiale Dei attributum erit, si ipse jus et justitiam arbitrio suo condidit. Et verò justitia servat quasdam æqualitatis proportionnalitatisque leges, non minus in naturâ rerum immutabili divinisque fundatas ideis, quàm sunt principia arithmeticæ et geometriæ (1). »

Puffendorfio ità confutato, suum systema Leibnitius aperit. Contendit énim « *finem* juris naturalis esse bonum servantium ; *objectum* quidquid aliorum interest et in nostrâ est potestate ; *causam* denique *efficientem* in nobis esse rationis æternæ lumen divinitus in mentibus accensum. »

---

(1) Nouveaux Essais, IV, 2, § 18.
« On peut juger du juste et de l'injuste aussi incontestablement que dans les mathématique ; par exemple cette proposition : *Il ne saurait y avoir de l'injustice où il n'y a point de propriété,* est aussi certaine qu'aucune démonstration qui soit dans Euclide, la propriété étant le droit à une certaine chose et l'injustice la violation d'un droit. Il en est de même de cette proposition : *Nul gouvernement n'accorde une liberté absolue.* »

In *Observationibus de principio juris* eadem docet atque explanat. Justitiam vel in Dei voluntate, vel in bonitate, vel in humanæ societatis custodiâ consistere negat. Eam non tantùm in voluntate divinâ, sed et in intellectu, nec tantùm in potentiâ Dei, sed et in sapientiâ collocat. « Idem est, inquit, rationi parere ac Deo. Supremæ autem rationis est id agere ut boni quantum plurimum potest et in quàm plurimis obtineatur et tantùm diffundatur felicitas quantum ratio ferre potest. Sin contrà Deum (quod absit) ponamus potentiam ità despotico exercere arbitrio ut nihil curet creaturarum intelligentium felicitatem aut non intelligentium decorem, nec sapiens, nec bonus erit, nec, ut hactenus justitiæ notio habita est, justus.... Deum esse omnis naturalis juris auctorem verissimum est, at non voluntate, sed ipsâ essentiâ suâ quâ ratione etiam auctor est veritatis. » Nihil igitur, si Leibnitio credis, justitia arbitrarii habet; nullam exceptionem ex Dei libidine accipit vel, si accipere videtur, tùm potius dicendum est prohibendi rationem evanescere. « Idèo actus sunt justi prohibitive multò magis quia præ aliis boni malive sunt; non contrà boni malive, quia jussi aut prohibiti sunt. »

Juris igitur nulla pænè est pars quam Leibnitius non magnoperè excoluerit atque amplificaverit.

EPILOGUS

Restat nunc ut quanti Leibnitius, si jurisconsultum modò respiciamus, æstimandus sit quæramus.

Jus sanè, fatendum quidem est, nihil aliud quàm tetigit, sed regali manu, ità ut eum jurisprudentia Germana aut potius universa sibi gloriosè vindicare queat.

Profectò non, sicut Cujacius, eruditissimâ calliditate leges Romanas explanavit; non, sicut Grotius, juris gentium præcepta invenit ac perfecit. Quin imò, si verissima dicere necesse est, Bacono (1) in eo simillimus, de jure præfationes librorum potius quàm libros edidit. At in ejus scriptis quot et quàm exquisitæ utilesque cogitationes scatent! Omnia tractat atque omnia emendat, aut, si tempus ad id quod suadeat peragendum deficiat,

---

(1) *De jure apud Baconum* vide *Alb. Desjardins* thesim.

quomodò emendenda sint mirabiliter docet. Nam, veluti dominus qui nisi per animum non laborat quique operam inter servos partitur, quid et quomodo sit in jure faciendum plerumque magis monstrat quàm ipse exsequitur.

Solertissimè quidem ac patientissimè ante illum legum seu veterum, sive recentium, ut ita dicam, ager excultus fuerat ; sed ejus modi laborum fructus et quasi messes passim et inordinatè jacebant. Nemo adhuc spicas collegerat ac ligaverat, nemo horrea paraverat.

Hoc verò Leibnitii opus fuit. Etenim primus rationis facem juri admovit, methodum attulit (1), necnon tanqùam Arianæ filum dedit per quem discipulorum ac magistrorum passus regerentur. Quippe qui philosophus esset et juris naturalis principia penitus scrutari auderet.

Multum tamen aberat quin, exemplo Cartesii, vetera rejiceret atque aspernaretur, protinus inaudita quæreret, nemini nisi sibi fideret atque quodam modo sibi hoc Ciceronianum proponere videretur : « Rationem quò me cumque ducet sequar. » Quod didicit potius perficit quàm exuit ; tanquam aurum studio acquisitum non ventis conjicit, sed attentè congerit, numerat, disponit. Quamvis summa planè cognoscat, parva non negligit, imò de minimis curat, si modò ad vitæ utilitatem vel disciplinarum commoditatem proficiant.

Ideò neque hanc doctrinam quæ legum textibus atque præteriti

---

(1) *Lerminier*. Introduction générale à l'histoire du droit, p. 144. « Sa *Nova Methodus* par ses longues énumérations d'auteurs et d'historiens, offre le tableau complet de l'état académique de l'Allemagne dans la dernière moitié du 17e siècle et a fondé ce qu'on appelle en Allemagne la *méthodologie* ou l'*encyclopédie du droit*. C'est depuis Leibnitz et ses vastes classifications que les Universités allemandes ont consacré des cours particuliers à l'étude de la méthode. »

vestigiis religiosè inserviat, neque illam quæ despectâ, ut ità dicam, terrâ, sursùm superbè volitet, omninò est amplexus. Neutram planè est secutus; utrique verò quùm præcepta, tùm etiam exempla tradidit. Hîc ut in quâcumque scientiarum parte omnia conciliare ac medius esse conatus est.

Ut eum summatim laudem, juris naturalis notiones altè indagavit, præteritæ jurisprudentiæ inventiones sagaciter ordinavit, historicis juris studiis viam monstravit atque aperuit.

FINIS

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum in Sorbonâ, cal. mai, ann. MDCCCLXVIII,

FACULTATIS LITTERARUM IN ACADEMIA PARISIENSI DECANUS,

PATIN.

Typis mandetur:

Pro Academiæ Parisiensis Rectore,

INSPECTOR,

T. TOUSSENEL.